

Frey  
De filio vasalli

1788.

Diss. jur.

119



PAUL ADAM NACHFOLGER  
KARL LION  
KUNSTBUCHBINDER  
DÜSSELDORF





N<sup>o</sup>. 57.



# DISSERTATIO JURIS FEUDALIS

DE

## FILIO VASALLI SUCCESSORE IN FEUDUM

REVOCATIONE FEUDI AB HOC ALIENATI

PER JUS FEUDALE

LONGOBARDICUM ÆQUE AC GERMANICUM  
EXCLUSO

---

QUAM

UNA CUM THESIBUS

EX

JURE FEUDALI

PRESIDE

ADAMO MARTIN

ACADEMIAE HUJATIS DUSSELLANÆ PROFESS. PUBL. ET ORDIN. NEG.

NON ADVOCATO CANCELLARIE JULIAC. ET MONTENS.

ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBJICIT

PETRUS FREY DUSSELDORPIENSIS

JURIUM AUDITOR

IN AULA PUBLICA ELECTORALIS GYMNASII

AD DIEM XVII. MARTII MDCCCLXXXVIII.

AB HORA X. AD XII.

---

DUSSELDORPII,

TYPIS FRANCISCI FRIDERICI STAHL, AULE ET CANCELLARIE TYPOGRAPHI.

DISSEMINATIO  
JURIS ROMANI

TOMUS I.

1727

“ Quemadmodum vero nihil scripturi sumus, nisi quod iuri & legibus concinnum: ita tamen nostra hinc judicia privata sunt, neque attendenda nisi illi, qui nostris argutiis fecit locum ultro. Ut enim respublica ingeniorum libera est: sic academica ejus generis problemata, verbis & rationibus in scholis natis concepta, ultra hanc limites suos non debent proferre. Quo ipso hoc volumus, non præjudicia hinc à nobis exspectanda, quæ exemplum dēnt iudicaturis, cum alia momenta scholæ, alia curiæ, primaque in rationibus versetur tum indagandis, tum expendendis: ultima autem id sibi proponat, quod ex usu esse solet, & expedit cuique res publicæ singulari „ Ita Joan. Petrus LUDEWIG in *Dissert. inaugur. de obligatione successoris in principatus & clientelas. proœm. §. 2.* Ast aliter se exprimit JUSTINIANUS in *I. 13 c. de sentent.* & interlocut. hisce definiens: “ Nemo judex aut Arbitrarius neque consultationes, quas non rite judicatas esse putaverit, sequendum, & multo magis sententias eminentissimorum præfectorum, vel aliorum procerum (*non enim siquid non bene dirimatur, hoc est in aliorum judicum vittum extendi oportet, cum non exemplis sed legibus judicandum sit*) neque si cognitionales sint amplissimæ præfecturæ, vel alicujus maximis magistratū prolate sententiæ: sed omnes judices nostros veritatem & legum & iustitiae sequi vestigia sancimus „



THE GERMANIC FEDERAL STATE, AUSTRIA & COUNTRIES LIBRARY

13. 661.

*JLLVUSTRISSIMIS  
EXCELENTISSIMIS DOMINIS  
DOMINIS*

**CAROLO FRANCISCO  
SACRI ROMANI IMPERII  
COMITI**

**DE NESSELROD IN ERESHOVEN**

CELSISSIMI ORDINIS S. HUBERTI EQUITI, ACTUALI SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS PALATINI CONSILIARIO INTIMO, AMBORUM DUCATUM JULIÆ ET MONTIUM CANCELLARIO, ET SUPREMI APPELLATIONUM JUCICHI PRÆSIDI, AC SATRAPÆ IN STEINBACH DUCAT. MONT. &c. DOMINO DYNASTIARUM THUMB, GROTNBEUGEL ET ERPICOM, DOMINO IN WEGBERCK, WILTROD, PAESWEILER, MARCKELSBACH, STOCKHAUSEN, VILTZHELT &c. &c.

NEC NON

**GODFRIDO  
SACRI ROMANI IMPERII  
LIBERO BARONI**

**DE BEVEREN**

CELSISSIMI ORDINIS PALATINI L. FONIS EQUITI, SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS PALATINI CAMERARIO, ACTUALI AMBORUM DUCATUM JULIÆ ET MONTIUM CONSILIARIO INTIMO NOBILI, ET SUPREMI APPELLATIONUM JUCICHI VICEP-RÆSIDI, DUCATUS MONTENSIS MARESCHALLO, SATRAPÆ IN ANGERMUND ET LANDSBERG DUCAT. MONT. ET SUCCESSORI SATRAPÆ IN LULSDORFF ET LOEWENBEBG DUCAT. MONT. &c. DOMINO IN LANDSBERG &c. &c.

*DOMINIS*

*AC  
MOECENATIBUS NOSTRIS GRATIOSISSIMIS.*



*JLLVSTRISSIMI*

**S. R. I. COMES ET LIBER BARO**

*DOMINI GRATIOSISSIMI!*

**D**um in Positionibus, Dissertationi nostræ *siftenti filium beneficiorum patris*. & quidem titulo universali in feudum succedentem anno elapsorum editæ adjunctis, defendebamus, *filium feudum à patre alienatum revocare non posse*, unus aut alter erat, cui hoc displacebat. Ut igitur nos & nostram hanc thesin justificemus, thema hoc in praesenti Dissertatione deducendum suscepimus.

Notus VESTER, EXCELLENTISSIMI DOMINI! veritatis amor, quo nolitis supprimi libertatem verum à falso detegendi, notus VESTER justitiae amor, quo causas non præjudiciis sed legibus vultis decidi, ac notus denique VESTER scientiarum amor, quo litteras, litterarumque cultores protegitis, excitant nos, præsentem hancce dissertationem EXCELLENTISSIMIS DIGNITATIBUS VESTRIS humillime dedicare atque consecrare, unicam hanc gratiam expentes, ut præsentem laboris nostri tesse-

ram



ram disgratioſis non respiciatis oculis, ſed benignis fufcipiatis  
manibus, contra aliorum forte diſplacentiam, hujusque ſequelas  
nos tuentibus.

Ut ſuperi VOS supremorum tribunalium noſtrorum pro-  
vincialium Praefides, patriæ, & litterarum fautores per ſeros flo-  
rentesque fervent annos, ſincerum eſt votum

**ILLUSTRISSIMARVM EXCELLENTIARUM VESTRARUM**  
**Obsequioſiſſimorum**  
**Praefidis & Defendantis.**



# LECTORI.

Quæstioni, quam elapso anno in Dissert. sistente filium beneficio patris  
et quidem titulo universali in feudum succedente hinc Dusseldorpii conscripta  
deduximus, pedissequa est haec: num filius feudum à patre alienatum re-  
vocare possit. Teste GEORGIO LUDOVICO BOEHMERO in principiis jur. feud.  
præsertim longobardici, quod per germaniam obtinet, editionibus anteriori-  
bus, & terria de anno 1775 olim in celeberrima göttingorum uni-  
versitate docebatur: "alienatio feudi valet in præjudicium ipsius va-  
salli, ejusque descendantium ad facta ejus præstabilitate ex lege successionis ob-  
stricitorum", ibid. § 266. Item "jus revocandi ex speciali ratione  
negatur liberis vasalli alienantis... cæterum consensu in alienationem  
feudi dato consentientis, ejusque heredium nullum est jus revocandi",  
Ibid. § 276. Verum ex quo facultas juridica göttingensis in favorem  
filiorum feudum à patre alienatum revocare volentium anno 1779 de-  
dit responsum juris, hinc Dusseldorpii typis mandatum sub rubrica:  
"Bestätigung der irr Sachen Greyherrlichen Gebrüder von Elmpt, entgegen  
den Herrn Reichsgrafen von Wolf Metternich zur Gracht, wegen der Gü-  
lischen Lehnbahnen Unterherrlichkeit Burgau im verwichenen Jahre in Druck  
ausgegebenen rechtlichen Ausführung, und gründliche Widerlegung des von  
hochbesagten Herrn Reichsgrafen ebenfalls in Druck ausgegebenen, so ru-  
brizirten, aufrichtigen Geschichts und Rechtszustands, vorgetragen in einem  
Rechtsgutachten der hochlöblichen Juristen Facultät in Göttingen", &  
eodem anno JUSTUS LUDOVICUS BECHTOLDUS BOEHMERUS, filius prælau-  
dati GEORGII LUDOVICI BOEHMERO, quoque in favorem filiorum differ-  
tiationem inauguream: *de filio vasalli successore in feudum publici fecit*  
juris, antiqua illa GEORGII LUDOVICI BOEHMERO doctrina in laudata  
göttingorum universitate hodie non amplius traditur, sed uti apparet  
ex quarta editione GEORGII LUDOVICI BOEHMERO principiorum jur. feud.  
præsertim longobardici, quod per germaniam obtinet anno 1782 recusorum  
§. 276., ejus loco substituta est haec: "Cæterum eadem juris rationes,  
ex quibus id jus datum est agnatis, militant pro filiis vasalli alienan-  
tis, ex investitura majorum ad successionem in feudo antiquo vo-  
catis, quoad agitur de alienatione feudi licita seu ex consensu do-  
mini peracta; nec ideo jus revocandi feendum, iisdem inconsulis  
" alie-

“ alienatum, eis ex hac sola ratione negari potest, quod facta patris  
“ intuitu allodii praestare teneantur; quippe quae id tantum efficit, ut  
“ feudum, à patre alienatum, non aliter, quam restituto pretio, revocari  
“ possint „. Interim antiqua illa Göttingenium doctrina nobis videtur  
vera, ideoque ad hanc contra JUSTUM LUDOVICUM BECHTOLDUM BOEHMERUM  
defendendam nostram impendimus operam, quam eo libentius suscep-  
pimus, quo palpabiliores, stante hac nova göttingensium doctrinā,  
sunt contradictiones, quae ob eam reperiuntur in praefata editione quar-  
ta GEORGII LUDOVICI BOEHMERTI princip. jur. fud.: Ubi in cit. §. 276.  
diserte refertur, quod sicuti agnati, ita & filii jure revocandi feudum  
à patre alienati gaudeant: econtra dicitur in §. 147 “Ordo succedendi  
“ legitimus.. immutari & determinari potest... tum ultima voluntate  
“ vasalli possessoris inter hos solos, qui ipsius hæredes simul in feudo sunt  
“ & allodio, quales ex lege esse jubentur liberi„. Item §. 252.: ex quo con-  
sequitur, ut de usu & fructu feudi vasallus possit per quamcunque  
conventionem disponere, ac proinde feudum locare, etiam in longius  
tempus, in eoque usumfructum constituere in sui & descendantium præ-  
judicium „. Item §. 263: “ potest ergo vasallus jure suo usumfructum  
& servitudes in sui, suorumque descendantium præjudicium feudo impo-  
nere, partemque feudi in emphyteusin dare, irrequisito etiam domini  
consensu. Sed aperto feudo, expirat servitus & emphyteusis, sine do-  
mini consensu constituta„. Porro §. 268. “ Hypotheca à vasallo ex  
domini quidem, sed sine successorum feudalium consensu constituta,  
valida quidem est intuitu vasalli & domini, sed non intuitu successorum  
feudalium, nec in borum præjudicium... quanquam valida sit, quoad  
fructus feudi, in præjudicium tum vasalli eam constituentis, ejusque  
descendantium, tum successorum feudalium in eam consentientium „.  
Nec non §. 288: “ subinfeudatio, etiam sine domini consensu, bo-  
nâ fide peracta, valida est intuitu vasalli subinfeudantis, ejusque hæ-  
redum... §. 289. nec subinfeudatio valida est in præjudicium agna-  
torum, nisi eorum consensu firmata sit „. Ac denique §. 299: “ pac-  
tum, quo inter hos, qui vi investituræ ad feudum vocantur, de-  
terminatur successio, & quidquid huic annexum est, valet ex mu-  
tuo eorundem consensu, & consentientes, borumque hæredes obligat „.





DE  
FILIO VASALLI  
SUCCESSORE IN FEUDUM

A

REVOCATIONE FEUDI AB HOC ALIENATI  
PER JUS FEUDALE  
LONGOBARDICUM ÆQUE AC GERMANICUM  
EXCLUSO.

§. I.

*Alienatio feudi sive totius sive partis in extraneum sine domini consensu hodie est illicita.*

**I**licitum quondam erat vasallo feudum secundum quarumdam curiarum consuetudines pro medietate a), secundum aliarum vero usus in totum b) alienare sine domini consensu etiam in extraneum sub prima investitura non comprehensum. Ex quo autem Lotharius III Imp.

a) I. f. 5. pr. I. f. 13. II. f. 9. pr. II. f. 44.

b) I. f. 18, II. f. 44.

(uti ipse inquit c) permultas interpellationes ad se factas comperiret, milites sua beneficia passim distrahere: atque ita omnibus exhaustis suorum seniorum servitia subterfugere, per quod vires imperii maxime attenuatas cognoceret, dum proceres milites suos omnibus beneficiis suis exutos ad feliciss. nostri numinis expeditionem nullo modo traducere valcent.. editali lege in omne ævum deo propitio valiturâ decrevit: nemini licere beneficia, quæ à suis senioribus habent, SINE IPSORUM PERMISSIONE distrahere, vel aliquod commercium adversus tenorem nostræ constitutionis cogitare, per quod imperii & dominorum minuatur utilitas. Hanc Constitutionem dein FRIDERICUS **I** Imp. d) hac confirmavit clausulâ: ut nulli liceat feudum totum vel partem aliquam vendere, vel pignorare, vel quocunque modo distrahere, seu alienare, vel pro anima judicare, SINE PERMISSIONE ILLIUS DOMINI, ad quem feudum spectare dignoscitur. — Si vero vasallus contra constitutionem bonæ memorie LOTHARII Imperatoris beneficium alienaverit, quia dominum contempnere videatur, ad dominum beneficium pertineat e).

c) II. f. 52. pr.

d) II. f. 55. pr.

e) II. f. 24. in fin. II. f. 55. pr.

## §. II.

Talis alienatio inter alienantem & alienatarium tamen non est nulla, sed valida & obligatoria.

**Q**quamvis alienatio feudi sine domini consensu facta respectu hujus sit nulla & illicita, nihilo tamen minus intuitu contrahentium scil. alienantis & alienatarii est quoad se *valida & obligatoria*: Enimvero I) FRIDERICUS **I** a) dum tales alienationem annullat, hanc subjicit simul clausulam: *emptori bonæ fidei EX EMPTO ACTIONE de pretio contra venditorem competente*. Solus igitur bonæ, non quoque malæ fidei emptor feudi premium recuperat: sed si alienatio sine domini consensu facta inter contrahentes quoque esset nulla, huic æque ac illi repititio pretii deberet esse integra, siquidem ea, quæ lege fieri prohibentur, si facta fuerint, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur.. & siquid fuerit subsequutum ex eo, vel ob id, quod interdicente lege factum est, quoque cassum & inutile sit b), ideoque si talis alienatio in se esset radicitus nulla, premium

a) II. f. 55. pr.

3

tiūm sine omni causa solutum esse à malæ fidei emptore, perconsequens huic ad recuperandum pretium competere deberet condicō sine causa, à qua propter malam fidem, & sub specie delicti excludi non posset, siquidem emptor domino obligatus non est, ideoque in eum non delinquit. Exinde igitur à contrario inferri debet, quod talis alienatio inter contrahentes sit valida. Rationem autem, cur malæ fidei emptor predium non recuperet, deducimus ex eo, quia si quis fundum sciens alienum vel obligatum comparavit, neque quicquam de evictione convenit, quod eo nomine dedit, contra juris poscit rationem c). Dein 2) FRIDERICUS II loc. cit. bonæ fidei emptori ad predium consequendum concedit actionem ex emp̄o, quam non nisi ex venditione valida nasci, juris Tyroneſ norunt. Perconseques si alienatio ejusmodi etiam inter contrahentes effet nulla, bonæ fidei emptori competere non posset actio ex emp̄o, sed tantum condicō vel indebiti, vel causā data causā non fecutā, vel sine causā, eoque tali in casu emptor predium solvissit indebite & sine causā. Ulterius 3) FRIDERICUS II loc. cit. statuit, ut venditor & emptor, qui tam illicitas alienationes reperti fuerint contraxisse, feudum amittant. Et emptorem itaque feudum illicite alienatum amittere dicitur. Sed de quo verificari potest, quod rem amittat, de eo præ-supponi debeat, quod rem ab ante habeat. Consequenter & emptorem ex venditione illicita feudum respectu venditoris acquirere oportet. Quod sane dici non posset, si alienatio inter contrahentes penitus effet nulla. Adhac 4) in casu, quo vasallus feudi qualitatē ignorans

## A 2

b) L. 5. c. de legib.

c) L. 27. c. de evict. conf. l. 7. c. commun. utriusq. Jud. & l. 4. §. 5. de dol. mal. & met. except. Nec obstat quod juxta l. ult. §. 4. c. commun. de legat. emptor sciens rei gravamen adversus venditorem actionem habeat ad restitutionem pretii, nam hæc lex agit de legatis & fideicommissis sub conditione, aut die incerta, aut substitutione, aut restitutionis onere reliqtis, quorum alienatio conditione, die incertā, substitutionis aut restitutionis termino nondum existente perfecte licita est & manet. cit. l. ult. §. 3. eaquè de causā conditione, die incerta, substitutionis aut restitutionis termino eveniente cum emptore mītius agitur predium huic restituendo, quam cum alio quovis malæ fidei emptore. Econtra feudi alienatio in extraneum sine domini consensu facta pro nullo licita est momento, & hinc scienter emens feudum melioris conditionis esse non potest, quam quivis alias malæ fidei emptor rei scienter alienæ, vel obligatæ, de quo leges cit. dicunt, quod id, quod eo nomine dedit, contra juris poscat rationem.

rans feudum sine domini consensu alienavit, pœna privationis quidem locum non habet, attamen in electione emptoris est, num feudum domino cedere, an vasallo restituere malit d): si autem alienatio sine consensu domini celebrata etiam inter contrahentes nulla foret, emptor talem electionem habere non posset, sed feudum necessario restitueret vasallo, quia ipse nil juris in feudum consecutus esset, adeoque nec domino id ipsum cedere valeret.

- d) *Domino cum emptore feudi agente si vasallus jurare poterit, quod ignorans esse beneficium vendidisset, credens proprium, ELECTIONI emptoris COMMITTITUR, utrum domino velit ipsum cedere, an vasallo restituere. Obertus dicit omnia vasallo restituenda.* II. f. 42. Quod hec opinio OBERTI non sit decisiva, inde evidens est, quod to: committitur sit dispositio expressum. Obstare quidem videtur textus II. f. 26. §. 19. ubi: si vasallus feudum alienavit ignorans, non domino, sed ipsi vasallo feendum restituendum est. Ad interesse vero emptori ignorantis condemnandus est vasallus. Ait respondeatur, quod in hoc textu feudista tantum definit, dominum non posse præcisæ restitutionem feudi prætendere, & sic feendum tanquam illicite alienatum caducare, nequaquam vero electionem emptori in II. f. 42. expressæ concessam denegare voluerit, tum quia feudista in §. 17. mediate præcedente, & in §. 20. immediate subsequente de pœna caducitatis agit, ideoque hanc pœnam in §. 19. excludere voluit, tum quoque quia hicce Sphus alias aperte contradiceret textui II. f. 42. Num vero vasallus feendum domino ab empto hoc casu cessum repeteret, & emptor in casu cessionis in dominum factæ contra vasallum venditorem ad interesse agere posset, est alia quæstio, de qua hec differere nolumus. Quidquid si etiam hæc electio emptori non competeteret, sed feendum juxta §. 19. cit. præcisæ restituendum foret vasallo venditori, verum tam maneret, huncce Sphum diserte disponere, quod ad interesse emptori ignorantis condemnandus sit vasallus: actio ad interesse autem nasci non posset exemptione, si hæc in se nulla foret.

### §. III.

*Alienatio feudi cum domini, sed sine agnatorum consensu facta, licet in horum præjudicium non valeat, obligat tamen descendentes patris alienantis.*

*S*in alienatio feudi cum domini consensu facta fuerit, hæc non tantum inter contrahentes, sed & intuitu domini valida est & licita: nihil.



nihilominus in quantum vergit in præjudicium agnatorum ad feudi successionem vocatorum, in alienationem non consentientium<sup>a</sup>, in tantum nulla est, ita ut hi casu successionis ad ipsos perveniente alienatum nullo refuso pretio revocare possint, nam si titius filios masculos non habens partem suam feudi sejo, partem ejusdem feudi possidenti agnato suo, concessit, sempronius proximior agnatus mortuo demum titio partem illius feudi NULLO DATO PRETIO recuperare potest a), eoquod alienatio feudi paterni non valet etiam domini voluntate, nisi agnatis consentientibus, ad quos beneficium quandoque sit reverjurum b). An vero etiam filius, cunctique descendentes patris vasalli feudum ANTIQUUM consentiente domino alienanis banc alienationem impugnare possint, ac actione revocatoria gaudeant, alia est quæstio ac præsentis dissertationis argumentum, quod negative resolventes sequentibus exponimus.

- a) II. f. 26. §. 13.  
b) II. f. 39. pr.

#### §. IV.

Quod probatur I) argumento feudi HÆREDITARII.

Nota est communis feudistarum Doctrina, quod filius feudum hæreditarium vel merum, vel mixtum quoad modum succedendi tale à patre alienatum revocare non possit. Hujus ratio tradente JUSTO LUDOVICO BECHTOLDO BOEHMERO a) fundatur in eo, quod in hoc filius beneficio defuncti patris succedat: atqui filius quoque in feudo quovisetiam ex pacto & providentia majorum nonnisi beneficio defuncti patris ad successionem venit, prouti hoc in dissertatione nostra sistente filium beneficio patris & quidem titulo universalis in feudum succendentem b) ex professo demonstratum ivimus. Consequentia ergo est necessaria, quod propter identitatem rationis nec filius feudum ex pacto & providentia majorum à patre alienatum revocare possit.

- a) *Dissert. de filio vasalli successore in feudum, Gottingæ 1779, cap. 3. sect. I.  
§. 13.*  
b) *Dusseldorpia. 1787. per tot.*

#### §. V.



## V.

### 2) Arg. feudi NOVI.

**N**ec minus commune est feudistarum Dogma, quod filio non licet feudum *novum* à patre alienatum revocare, quia, ut ait laudatus BOEHMERUS a), jus succedendi in illud pendet ex sola voluntate eorum, qui illud constituerunt: atqui etiam quivis pater respectu filii sui considerari debet tanquam talis, qui investituræ renovatione feudum cum domino constituit, vel potius ab eo acquirit, & ex cuius voluntate jus succedendi filio competens dependeret, eoquod pater sacrifici quivis alius successor feudalis in libero suâ habet arbitrio, num feudum primo acquirenti constitutum, & successione ad se devolutum retinere, & sic hac ratione suis descendantibus conservare, an vero illud repudiare, & consequenter suis descendantibus auferre velit, Ideoque intuitu feudi *antiqui* jam semel constituti, & per mortem primi acquirentis ad se devoluti idem juris habet, quod primus acquirens intuitu primæ feudi *novi* constitutionis, vel potius acquisitionis habuit. Perconsequens sicuti descendentes primi acquirentis ex pacto, occasione originariæ feudi *novi* constitutionis inter hunc & dominum inito, jure succedendi gaudent: ita quoque & descendentes patris feudi *antiqui* possessoris ex pacto occasione investituræ renovationis inter dominum & hunc investitaram renovantem concluso jus succedendi in feudum *antiquum* derivare debent b). Ergo & filio feudum *antiquum ex pacto & providentia majorum tam parum*, ac quoque *novum* à patre alienatum revocare licebit.

---

a) *Dissert. &c loc. cit.*

b) *Conf. Dissert. nostr. sistens filium beneficio patris &c. §. 3. &c 4.*

## §. VI.

### 3) Arg. subinfeudationis.

**S**ubinfeudatio à vasallo facta, licet non ligeat agnates, nihilo tamen minus à subinfeudantis descendantibus sancte est servanda. Sequentes hoc probant rationes: etenim 1) vasallus feudum in subfeudum dare potest, & quidem non tantum in tertiam & quartam personam sed usque adeo

7

adeo *in infinitum* a): sed si descendentes subinfeudantis, hoc mortuo, subinfeudationem impugnare, subfeudumque revocare valerent, concessio illa *in infinitum* verificari nequirit, eoquod subinfeudantem ipsum in sua persona *in infinitum* vivere implicat. Non minus clare hoc ipsum feudista quoque 2) exponit, dum inquit: *si totum vel partem volebat per feudum aliquem investire, hoc licebat ei sine fraude facere.* Si autem dissentiente domino per feudum investiebat, *si tamen sine hærede masculo descendente decedebat...* tunc omnis feudi alienatio ad irritum revocabatur b). Si igitur subinfeudans sine hærede masculo descendente non decedat, subinfeudatio ad irritum revocari nequit, ergo descendentes sub-

---

a) II. f. 34. §. 2.

b) II. f. 9. pr. Licet hic textus *de antiqua feudorum consuetudine*, ideoque per totum in *imperfecto* loquatur, tamen adhuc hodie autoritatem habet legalem, eoquod ibidem expresse hæc adjecta reperitur clausula, quod & ipsum sincere hodie & sine fraude licet. Notam hanc ideo subjicio, quia dum interrogatus super quæstione: *quis in concursu domini & agnatorum præferendus sit in jure protimiseos aut retractus feudalium?* pro agnatis respondebam, me post textum II. f. 3. §. 1. in hujus textus II. f. 9. §. 1. verbis: *in prohibendo vel redimendo potior erat proximi agnati quam domini conditio fundans*, D. collega meus H... contrarium dabit responsum à variis cum applausu receptum, in quo, calumniis hinc inde intermixtis, is ipse, qui suo tempore jus feudale quoque prælegit, conatur contra unanimem feudistarum opinionem tueri, in jure protimiseos æque ac retractus potior rem domini, quam agnatorum esse conditionem, textum cit. II. f. 9. §. 1. obstantem per hoc refutare satagans, quod is textus *de antiqua consuetudine* tantum loquatur, ideoque hodie ex illo nihil probari amplius possit. Verum, ut paucis ostendatur, quali attentione, aut potius miseratione dignus sit incassus ejusmodi conatus, non est, cur ad feudistas in vim hujus textus agnatos domino unanimiter præferentes, aut ad textum II. f. 3. §. 1. provocem, qui hanc agnatorum præferentiam non nisi cæco dubiam relinquit, sed sufficiat notasse, totum jus feudale longobardicum nullam præter textum cit. continere dispositionem, quæ domino jus protimiseos aut retractus tribuit. Si igitur vis probandi dematur huic textui, splendidum hoc domino penitus denegari deberet jus. — Ne igitur præfatus collega meus, aut alii, qui cum illo optarent, ejus doctrinam esse evangelicam, in præsens simile quid obmoveant, ideo & solâ hæc ex ratione hæcce notamus,



subinfeudantis eam impugnare non possunt. Confirmatur 3) hoc ipsum communi feudistarum traditione c). Sed subinfeudatio indubitata est alienatio: ergo si filius eam à patre factam impugnare non audet, propter identitatem rationis nec audebit quamvis aliam impugnare alienationem à patre factam.

c) STRUV. *Syntagma. Jur. feud. cap. 12. aphor. 13. n. 3.* HORN *jurisprud. feud. cap. 19. n. 13.* MOLLINÆUS *comment. in parisiens. confuetud. tit. I. dc fiefs. §. 51. gloss. I. n. 19.* GEORG. LUD. BOEHMER. *princip. jur. feud. §. 288.* GOTHOFRED. SCHILTER. *Dissert. de subinfeudat.* Lipsiae 1678. §. 127. &c. &c.

## §. VII.

### 4) Arg. alienationis feudi illicitæ.

**Q**uod filius alienationem feudi *sine consensu domini*, ideoque illicite à patre factam impugnare, feudumque à domino privationis pœna utente revocare non possit, jus feudale diserte sancivit a). Ergo nec filium alienationem feudi *consentiente domino*, & hinc *licite* à patre factam impugnare, ac feudum taliter alienatum ab alienatario revocare posse, sequela est necessaria. Enimvero juxta §. II. alienatio feudi *sine consensu domini* facta quoad se ac inter alienantem & alienatarium non est nulla, sed valida & obligatoria. Consequenter Consensum domini, qui alienationi tantum dat *licitatem*, ad qualitatem alienationis non in = sed tantum *extrinsicam* referri oportet. Consensus domini itaque sive accedat, sive non, *intrinsecam* alienationis naturam & efficaciam immutare nequit. Cum igitur alienatio feudi *sine consensu domini* consummata filio jus revocandi auferat, idem quoque de alienatione *cum consensu domini* facta dicendum esse prono fluit alveo. Replicat equidem Boehmerus b), quod illius causa posita non sit in arbitrio & voluntate patris, sed in lege, quæ ob delictum felonie à patre commissum filiis successionis jus aufert: Verum Respondetur ad hoc, quod causa hujus delicti sit ipsa alienatio *sine consensu domini* facta, illudque sit hujus effectus. Si igitur ipsa alienatio *ex sui naturâ* filio jus succedendi,

a) II. f. 26. §. 17. & II. f. 31.

b) *Dissert. cit. cap. 2. §. 6.*

9

dendi, & feudum revocandi non auferret, delictum ipsum patris hanc feudi privationem intuitu filii post se trahere non posset, tum quia effectus nec major esse, nec plus operari valet, quam causa ipsa, tum quoque quia delictum patris *qua tale* filio nocere & jus huic aliunde efficaciter quæsitum auferre nequit, liquidem non tantum jus naturæ dicitur, sed & Imperatores ARCADIUS & HONORIUS c) expresse sancient: *ibi esse pœnam, ubi & noxia est, propinquos, notos, familiares procul à calunnia removebimus, quos reos sceleris societas non facit.* Nec enim affinitas vel amicitia nefariorum crimen admittunt. Peccata igitur suos teveant *Authores: nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum.* Per consequens in aprico est, quod ratio, cur jus feudale filium ab actione feudi à patre illicite alienati revocatoria excludat, non tam in ipso patris delicto, quam potius in naturâ alienationis à patre factæ, quoad se spectatæ, fundetur.

---

c) L. 22. C. de pœnis.

## §. VIII.

5.) *Per textum II. f. 9. pr.*

**S**ecundum prædeducta ad §. 1. ante constitutionem LOTHARII Imp. licitum erat partem feudi sine domini consensu alienare. Constitutio isthæc à FRIEERICO II. Imp. confirmata alienationem etiam partis prohibens non in gratiam vasallorum filiorum, sed *unice* in favorem dominorum introducta est, ceu inde colligere licet, quod hæc ad instantiam, & querelas dominorum a), & ne vasalli dominorum suorum servitia subterfugiant, ac inde vires imperii minuantur b), lata sit. Re-

B  
spectu

a) II. f. 52. pr. ibi: *per multas interpellationes ad nos factas comperimus, milites sua beneficia passim distrahere.* & II. f. 55. pr. ibi: à principibus italicis tam rectoribus ecclesiistarum, quam aliis fidelibus regni non modicas acceptimus querelas, quod beneficia eorum *Es* feuda, quæ vasalli ab eis retinebant, sine dominorum licentiâ pignori obligaverant, vel quadam collusione nomine libelli vendiderant.

b) II. f. 52. pr. ubi: *milites suorum seniorum servitia subterfugere, per quod vires imperii maxime attenuatas cognoscimus.. per quod imperii vel dominorum minuitur utilitas.* II. f. 55. pr. ibi: *unde debita servitia amittiebant (domini), & honor imperii, & nostræ felicis expeditionis complementum eni- gniabatur,*



spectu filiorum igitur adhuc hodie idem deber esse juris, quod respectu illorum olim ante præfatam LOTHARI<sup>II</sup> constitutionem juris erat: atqui partem feudi à patre *licite* alienatam revocare olim permissum non erat filio, nam *si dissentiente Domino* (partem) vendebat... *si tamen 1) SINE HÆREDE MASCULO DESCENDENTE* decebat, vel 2) *feudum in manu domini refutabat*, aut 3) *alia forte ratione intercedente culpa amitterebat*, tunc omnis feudi alienatio ad irritum revocabatur c). Alienatio partis feudi igitur in tribus illis casibus tantum exceptis *in irritum revocari* poterat: notissimi juris autem est, 1) quod exceptio, pro quibusdam casibus exceptis facta, pro casu non excepto firmet regulam in contrarium. Regula itaque stabat pro *irrevocabilitate alienationis*. Consequenter quidquid non est exceptum, sub illa manet comprehensum: sed præter duos ultimos casus exceptos exceptio tantum facta est pro casu, si vasallus *sine hærede masculo* relicto decesserit, subintrare deber regula pro *irrevocabilitate alienationis*. Dein 2) ibidem casus *refutationis*, (aut, quod idem est, quovis titulo sive in Dominum, sive cum ejus consensu in extraneum *licitæ alienationis*) æquiparatur cum casu, quo vasallus alienans *sine hærede masculo descendente* decebat: atqui *hoc casu* per rerum naturam impossibile est *feudum à filio revocari*, ergo & *illo casu* revocatio isthæc nequit filio esse permissa. Huic accedit 3) quod ibidem casus *refutationis*, id est; alienationis dicto jam modo *licitæ factæ cum casu feudi per culpam amissi* comparetur: sed hoc casu filius non gaudet actione revocatoria (§. VII. lit. a), ergo nec olim ea uti poterat in casu *licitæ alienationis*. Consequenter cum intuitu filii hodie etiam idem adhuc ac olim juris sit, ne: hodie licebit filio *feudum à patre licite alienatum revocare*.

c) II. f. 9. pr.

## §. IX.

6.) *Per textum I. f. 18. §. I. & I. f. 13.*

**S**imiliter ait feudista: *Si aliquis de capitaneis vel de majoribus valvasoribus vel de minoribus suum beneficium sive totum sive partem alienaverit, ipse vel hæres ejus sine hærede decesserit, quia beneficium senioribus aperi-*

aperitur, totum, quod fecit, revocari debet a). "Quatuor (inquit MA-  
 "THÆUS DE AFFLICTIS b) ad hunc textum commentans) sunt notanda  
 "ex isto textu: & primo, quod interest acceptatoris, quod concedens  
 "non moriatur sine hærede, id est: sine descendente, quia donec su-  
 "perest hæres datoris, non resolvitur juc accipientis... tertio not... quod  
 "si habens feudum illud vendidit jure antiquo permittente infra me-  
 "dietatem, & postea decedat relitto filio, si ille alio filio, & sic nepote, &  
 "postea nepos ille moriatur &c. si ultimus descendens moriatur sine descen-  
 "dente, NB. tunc (ergo non prius) resolvitur venditio ipsa, quia feudum  
 "revertitur ad dominum, id est, quia dominus potest revocare feu-  
 "dum à manibus illius, cui fuit concessum... vel si feudum erat an-  
 "tiquum, & supersunt agnati, tunc resoluto jure ipsius datoris feu-  
 "dum non revertitur ad dominum, sed ad agnatos .. Solis igitur do-  
 "mino & agnatis impugnare licet alienationem, si alienans sine descenden-  
 "tibus moriatur. Hi ergo, si extent, eam revocare non valent. Cor-  
 "roborat hoc ipsum feudista adhuc sequentibus: si clientulus fecerit li-  
 "bellum, vel aliud de medietate feudi sine domini voluntate, eo mortuo SINE  
 "LEGITIMO HÆREDE MASCULO... revertitur feudum ad dominum. SI VERO CUM  
 "domini voluntate totum vel medium alienaverit, STABILIS permanet alienatio  
 "c). Super quo ANDREAS DE IERNIA d) ita commentatur: "refertur  
 "quidem ad proxima continuative, quia dicit: Si vero; non ponit  
 "casum per se, quando vasillus non moriretur sine legitimo hærede, quia  
 "ille casus est indubibilis .."

a) I. f. 18. §. 1.

b) In Commentar. super tres libr. feud. ad I. f. 18. §. I. n. I. & 2.

c) I. f. 13.

d) Sup. usib. feud. ad I. f. 13. n. 5.

## §. X.

7) Per textum II. f. 83.

T extibus feudalibus hucusque adductis, si etiam non omnino clari,  
 sed dubii vel obscuri forent, insigne superaddit pondus textus II.  
 f. 83. substratam quæstionem in terminis ita definiens: si alter ex fra-  
 "tribus, qui paternum habeat beneficium, suam portionem dederit domino, vel  
 "allicui extraneo, dominus vel extraneus TAMDIU TENEANT SINE PEJUDICIO,  
 B 2 QUAM-



QUAMDIU ILLE, QUI DEDIT, HÆREDEM MASCULUM HABUERIT... hōc enim verissimum ex usū COMPROBATO didicimus. Præfatus BOEHMERUS a) quidem obmovet, textum hunc esse capitulo *extraordinarium*, ideoque nullius habendum esse ponderis. Ast facilis est ad hoc responsio, scilicet quod secundum unanimem feudistarum opinionem b) capitula *extraordinaria*, sicuti, si cum ordinariis pugnant, nullam habeant authoritatem, ita si ad illustrationem & explicationem ordinariorum obscure vel ambigue loquentium faciant, vel casum in his non decisum secundum horum analogiam dereminent, recte allegentur, eoquod illa æque ac hæc non nisi mores longobardorum contineant, siquidem hæc ex rebus judicatis, responsis prudentium & consuetudinibus ab incertis authibus collecta, ab ARDIZONE, & ALEVAROTTO primitus in medium producta, à CUXACIO vero postea restituta, & corpori juris adjecta sunt. Et sane si SANDEO, CHRISTINÆO, CHASSINÆO, STOCHMANNO, CAROLO DE MEAN, MEVIO, aliisque ictis ad consuetudines certarum provinciarum commentantibus doctrinalem tribuamus authoritatem ad mores, consuetudines, & statuta illarum provinciarum interpretanda, explicanda, & eleuteranda, cur igitur eandem denegemus capitulis *extraordinariis* authoritatem? Merito itaque cum HARTMANNO PISTORE c) concludimus: « ita non video, cur non in aliis, in quibus cum capitulis juris feudalium (ordinariis) convenient, eorum (extraordinariorum) testimonio uti, nisi demque ea, quæ non satis clara sunt, manifestius declarare liceat, ut in proposita facti specie, ubi hoc idem, quod in d. §. Si alter ex fratribus diserte explicatur, ex multis etiam aliis juris feudalis capitulis haud obscure colligitur, cum præsertim animadvertam, multa in iis *extraordinariis* cap. plenius explicata haberi, quam in jure nostro feudali „d). »

a) *Dissert. cit. cap. 3. sect. I. §. 10.*

b) MOLLER *diss. feud. cap. I. diss. 3. STRYCK exam. Jur. feud. cap. I. quæst. 22. STRUV. Syntagm. Jur. feud. cap. I. aphor. 7. n. 10. HORN jurisprud. feud. cap. I. §. 34. LUDWELL Synops. Jur. feud. cap. I. pag. m. 13. Snauberts Erläuterung des in Deutschland üblichen Lehnrechts §. 32. versu: capitula extraordinaria.*

c) *Lib. I. quæst. 13. n. 59.*

d) Sic cap. ordinarium II. f. 26. §. *Mulier. ex cap. extraordinario II. f. 103. debet explicari. Ita quoque cap. ordinarium II. f. 26. §. omnes. Non nisi ex cap. extraordinario II. f. 77. eleuterari potest &c.*

## §. XI.

## §. XI.

### *Continuatio.*

**Q**uidquid ipse BOEHMERUS videtur prævidisse, cit. capitulo *extraordinario* omnem plane denegari non posse autoritatem, hinc se a) ulterius ita exprimit: “ quod si etiam capitula extraordinaria ullius morti putanda essent, nihil tamen impedit, quominus textus 11. f. 83. ex principiis juris romani, quibus & ipse inniti videtur, ita explicetur: nisi filii hæredes ad pretium reddendum parati sint „. Ait BOEHMERUM hēic gratis ad juris romani provocasse principia, non tantum inde, quod jus romanum hæredi facultatem rem propriam à defuncto alienatam revocandi expresse denegare infra expositum sit, sed vel ex eo elucet, quia textus cit. 11. f. 83. sine distinctione ac restrictione diserte dicit, quod dominus vel extraneus tamdiu teneat SINE PRÆJUDICIO, quamdiu ille, qui dedit, hæredem masculum habuerit. Si autem filius possit feudum refuso pretio repetere, de domino vel extraneo, in quem feudum alienatum est, verificari nequiret, quod illud teneat sine præjudio. Tacendo, quod si alienatio nullo interveniente pretio facta fuerit, feudum secundum BOEHMERI b) doctrinam usque adeo absque pretii refusione revocari liceat, ideoque tunc dominus vel extraneus, utpote in quem alienatio facta est, maximum haberet præjudicium. Adhæc illa revocatio aliter fieri non posset nisi per vindicationem c): textus cit. autem filio jus vindicandi expresse denegat, ceu colligitur ex sequentibus ejus verbis: Si VERO sine hærede decesserit, alter frater, si vixerit, vel ejus hæres sine ullo obstaculo vel temporis præscriptione beneficium, quod hæreditarium est, VINDICET à quocunque possessore. Quam certum jam est, quod particula: si vero præcedentibus adverseretur in jure & facto, tam indubitatum quoque oportet esse, quod textus cit., cum jus vindicandi tantum concedat in casu, quo alienans sine hærede decedit, illud deneget, si alienans eo reliquo moriatur.

a) Loc. cit. lit. g.

b) ibid. §. 6.

c) Ut patet ex II, f. 8. pr. & ipse BOEHMERUS loc. cit. §. 2, agnoscit.

## §. XII.

8) *Quia filius in feudo succedens simul est hæres patris.*

**D**enique, uti in dissert. nostra sistente filium beneficio patris & quidecum titulo universalis in feudum succedentem deduximus, filius titulo universalis in feudum patris succedit. Filius itaque feudum à patre alienatum tam parum, ac quoque hæres cæteroquin universalis in materia civili revocare potest id, in quod ipse titulo universalis successurus fuisset, si defunctus hoc non alienasset. Imo si filius titulo non universalis, sed tantum particulari in feudo succederet, nihilo ramen minus maneret verum, quod ipse in vim textus 11. f. 45. uti & ipse BOEHMERUS a) expresse fatetur, non possit succedere in feudo nisi se simul hæreditati patris allodiali immisceat, ideoque se tanquam hæredem patris sifstat: In jure autem disertis hisce cautum est verbis: *unam quodammodo esse personam hæredis, & ejus, qui in eum transmittit hæreditatem, ideo nullus eidem sibi met ipsi edicit reluctari, & quod dixit, atque juravit ratum esse, hoc nolle valere, sed contra proprios reluctari sermones b).* Ad eoque cum hæres in jus omne defuncti succedit... non poterit, quod defunctus non potuit c). Hinc cum à matre domum filii, te sciente, comparasse proponas, adversus eum dominum vindicantem, si MATRI NON SUCCESSIT, nulla te exceptione uti potes. *Quod si VENDITRICIS OBTINET HÆREDITATEM, doli mali exceptione, pro qua portione ad eum hæreditas pertinet, uti non probiberis d).* Sic quoque sive possessio venditoris fuit, filius ejusdemque patris hæres frustra quæstionem movet: sive non patris, sed filii ejus possessio fuit, de qua JURE HÆREDITARIO author laudare potest, controversiam moveare non potest e). Præsertim cum Marcellus scribat, si alienum fundum vendideris, & tuum postea factum petas, bac te exceptione (rei venditæ & traditæ) recte repellendum. Sed & si DOMINUS FUNDI HÆRES VENDITORI EXISTAT, idem erit dicendum f). Hæc principia non tantum locum habent

a) *Dissert. cit. cap. I. §. 15.*b) *Nov. 48. in præfat.*c) *L. 11. ff. de divers. tempor. præscript.*d) *L. 14. c. de rei vindic.*e) *L. 14. c. de evict.*f) *L. 1. §. 1. ff. de except. rei vend. & trad.*



bent, si alienatio involvat titulum *onerosum*, sed & si alienatio facta sit titulo *lucrativo*, nam si patri tuo haeres non extitisti, ex facta ab eo liberalitate titulo donationis non posse jura rualædi, manifestissimi juris est g). Inde ULPIANUS respondit: *filium ob hoc, QUOD PATRI HÆRES EXISTIT, proliberi à patre suum servum manumissum in servitutum petere h).* Cum eti libertas non processerit, RESPECTU TAMEN ADITÆ HÆREDITATIS VOLUNTATEM DEFUNCTI SUO CONSENSU FIRMARE DEBUIT i). Sequela igitur est necessaria, quod haeres factum defuncti indistinctim præstare debeat, & alienationem ab hoc factam impugnare non possit, etiamsi res hæredi propria titulo sive *oneroſo* sive *lucrativo* alienata fuerit. Consequenter nec filio, qua *necessario* patris hæredi, si in feudo succedere velit, hoc à patre alienatum revocare licebit.

g) L. 24. c. donat.

h) L. 31. ff. de liber. caus.

i) L. 7. c. eod. tit.

### §. XIII.

*Refutantur contraria BOEHMERI argumenta, & quidem imum ab investitura primi acquirentis, ac secundum à jure agnatorum.*

Argumenta, queis BOEHMERUS jus revocandi filio vasalli alienantis adstruere conatur, sunt sequentia: “ 1) filiis perinde atque agnatis (haec sunt ejus verba a) per investituram primi acquirentis ac per leges successio in feudum defertur, in quo uno omne juris revocandi fundamentum positum est... Est porro 2) idem omnino filiorum atque agnatorum in feudo jus, siquidem utrumque ex eodem fluit fonte, ex pacto scilicet & providentia majorum, atque ex lege. Quæcunque igitur argumenta ex jure agnatorum ducuntur ad confirmandum ipsis revocandi jus, in filios quoque convenire necesse est „. Verum BOEHMERUM hisce nihil omnino probare, sequens contra dubium ponat argumenti retorsio: “ filiis primi acquirentis perinde ac agnatis per investituram primi acquirentis ac per leges successio in feudum defertur, ergo & filii primi acquirentis feudum novum à primo acquirente patre alienatum revocare possunt „. Hoc autem

a) Loc. cit. §. 3.



autem consequens nec ipse BOEHMERUS b) admittit. Igitur nec erit, cur nos ipsius sequelam, scilicet quod filius feudum *antiquum* à patre alienatum revocare valeat, ex eodem *antecedenti* deductam approbemus. Præsertim cum alibi c) modo demonstraverimus, quod quivis pater, sicut cuncti successores feudales in libera sui potestate habeant, num feudum modo constitutum, ac per vasalli defuncti mortem ad se devolutum retinere, & sic hac ratione suis descendantibus prodesse, an vero illud repudiare, ac per hoc suis descendantibus nocere malint; ideoque pater cunctique successores feudales intuitu ejusmodi feudi ad se devoluri idem jus habeant, quod primus acquirens intuitu primæ feudi constitutionis, aut potius acquisitionis habuit, & hinc quemadmodum descendentes primi acquirentis ex pacto occasione *originariae* feudi constitutionis inter dominum & primum acquirentem ita & descendentes ex quovis patre cunctisque successoribus feudalibus ex pacto occasione investituræ renovationis inter dominum & hunc vel hos investituram renovantes initio jus succedendi nanciscantur. Hisce principiis conformiter respondemus ad argumentum *1um* distinguendo: filiis per investituram primi acquirentis, ac per leges successio in feudum defertur *mediate* conc. *immediate* neg. Ideo dicimus *mediate*, quia causa causæ est causa causati: sed investitura primi acquirentis est causa, cur successio ad ejus filium & resp. patrem delata sit, ergo & causa *mediata* esse deber, cur successio ad hujus descendentes perveniat. Ideo autem non *immediate*, quia si pater successionem ad se devolutam vel *expresse* vel *tacite* refutasset, ideoque feudum per investituræ renovationem pro se & descendantibus suis non acquisivisset; his investitura primi acquirentis tam parum ac successio ex lege prodesset, sed utraque non obstante iipi à successione feudi in perpetuum fuissent exclusi. Unde sequitur argumentum *2um* falsum omnino esse, quia agnati secus ac filii ex investitura primi acquirentis, ac ex pacto & providentia majorum *immediate* succedunt: etenim si vasallus feudi possessor sive *expresse* sive *tacite* feudum repudiasset, & investituram non renovasset, agnatorum jus succedendi tamen manisset salvum, quod tamen intuitu filiorum secus plane est.

b) *ibid.* §. 13.

c) *Dissert. nostr. cit.* §. 3, §. 4,

## §. XIV.

3tium à i. f. 8. pr.

**T**ertium BOEHMERI argumentum loc. cit. exponitur hisce: « Deinde  
 « 3) leges non minus longobardicæ, quam germanicæ salva & incolum-  
 « nia esse jubent jura filiorum, ad feudi successionem vocatorum, &  
 « ne ordinatio patris, qua illa labefactari possint, valeat maneatque,  
 « diligenter provident ». Quod autem leges feudales germanicæ jus  
 revocandi in favorem filii non probent, sed potius contrarium statuant,  
 infra §. XXIII & seq. deduximus. Lex feudal longobardica, ad quam  
 BOEHMERUS provocat, est unicus ab illo loc. cit. sub lit. h. allegatus tex-  
 tus i. f. 8. pr. qui ita habet: sequitur de successione feudi videre. Siquis  
 igitur deceperit filiis & filiabus superstibus: succedunt TANTUM filii æquali-  
 ter, vel nepotes ex filio, loco patris sui: NULLA ORDINATIONE DEFUNCTI IN  
 FEUDO MANENTE VEL VALENTE. In casu hujus textus pater defunctus est  
 relictis filiis & filiabus. Unde non quærebatur, utrum filii æqualibus  
 succedant partibus, sed quæstio tantum erat, num filia una cum filiis  
 patri defuncto æqualiter succedere possint? ad quam ibi responderetur:  
 succedunt TANTUM filii æqualiter. Status quæstionis in hoc textu igitur  
 concernit tantum concurrentem filiarum successionem. Ergo & textus ver-  
 ba: nulla ordinatione defuncti in feudo manente vel valente, ex præcedente  
 quæstionis statu interpretari, perconsequens & ad denegatam filiarum  
 successionem restringi debent. Sensus hujus clausulae: nulla ordinatione &c.  
 itaque aliis esse non potest, nisi quod nulla ordinatio, quæ pater filias  
 ad successionem vocat, in feudo valeat. Adeoque exinde generaliter  
 deduci nequit, quod nulla omnino dispositio super feudo in præju-  
 dicium filiorum valeat. Præsertim cum ratio, quare in casu textus cit.  
 dispositio patris sit invalida, non sit hæc, quod ea tendat in præju-  
 dicium filiorum, sed hæc, quod filia sub investitura primi acquiren-  
 tis non sint comprehensæ, ideoque talis dispositio patris sit in præ-  
 judicium domini, ceu liquet ex ejusdem textus §. 2. ita se exprimente:  
 filia vero non succedit in feudo, nisi investitura fuerit FACTA IN PATRE,  
 UT FILII ET FILIAE SUCCEDANT IN FEUDUM. Nec obest, quod in textu di-  
 catur: succedunt tantum filii æQUALITER, adeoque exclusa videatur om-  
 nis dispositio, per quam successio filiarum sit inæqualis, consequenter  
 à potiori prohibita esse debeat dispositio, per quam feudum in præ-  
 judicium

C

judicium omnium filiorum alienatur: Enimvero responsio ad haec latet in antedictis, scilicet quod in *casu cit.* textus non de *in-vel aequali* filiorum, sed tantum de *concurrente filiarum successione* quæstio fit, sicuti hoc clare patet ex adverbio: *tantum* apposito, quod alias plane superfluum & sine omni probris esset effectu. Hinc quoque est, quod BALDUS in summario hujus textus de *in-vel aequali* filiorum successione mentionem non faciat, sed statum quæstionis ad *concurrentem filiarum successionem* ita limitet: « Si habens feudum decedat masculis & filiabus relictis, NB. soli masculi succedunt in feudum, non filie seu feminæ ». Non aliter quoque ANDREAS DE IERNIA ad textum *cir.* hisce commentatur: « primum dictum est: habens feudum decedit filiis masculis & feminibus relictis, an communiter succedunt feminine, & masculi in feudo... & dicitur, quod masculi *solum*, non feminine succedant in feudo, quia & si sole feminine reliete essent, non succederent ».

## XV.

### Continuatio.

**S**i dein etiam textus *cit.* non tantum de *concurrente filiarum*, sed & simul de *inæquali* filiorum successione loqueretur, omnemque dispositionem defuncti, qua sive haec, sive illa introduceretur, prohiberet ac annullaret, ulterius tamen ad illum textum responderi posset, quod illa, quam textus *cit.* prohibet, sit dispositio *mortis causa* a), à cuius prohibitione vero non illico concludi potest ad prohibitam dispositionem *inter vivos*. Sic licet filiusfamilias super peculio adventitio etiam extraordianrio non possit *mortis causa* disponere, dispositio *inter vivos* illi tamen desuper non est prohibita. Vim hujus responsionis BOEHMERUS ipse non ignoravit, ideoque textum *cit.* propter rationis identitatem ad dispositionem *inter vivos* extendere conatur, dum scribit b): « i. f. 8. pr. quidem ad testamentariam de feudo dispositionem pertinere » vi-

- 
- a) Ex hoc textu communis quidem rata est opinio, ac si dispositio *mortis causa* super feudo *quoad se* & *indistinctum* invalida sit, & prohibita: ast hoc ita non esse, apparet ex II. f. 55. pr. ubi prohibetur *pro anima judicare SINE permissione domini*. Ergo saltim debet esse *casus dabilis*, ubi talis dispositio *cum domini permissione* valet.
- b) *Lœ. cit. lit. h.*

videtur, at, quum ideo nullam valere defuncti de feudo ordinatio-  
 nem statutum sit, ne *succesio in feudum filii intervertatur*, eandem  
 ob rationem nec dispositio de feudo, quae inter vivos sit, eo valere  
 potest, ut jus filiorum in illud succedendi è medio tollat „. Ait  
 nos negamus, & BOEHMERUS nunquam probabit, quod *præjudicium fi-*  
*liorum* sit prohibitiva *textus* cit, *ratio*, nam, licet olim licuerit vasallo  
 partem feudi etiam in filiorum *præjudicium inscio & invito domino ven-*  
*dere*, nihil tamen minus dispositio *mortis causa* super feudo secundum  
*nullius curiae consuetudinem* erat permissa c). Imo si etiam *præjudicium fi-*  
*liorum*, ne scilicet *successio* illis everteretur, esset ratio dictæ prohi-  
 bitionis, inde tamen argumentum duci non posset ad prohibitionem  
 dispositionis *inter vivos*: Enimvero in nostris & nonnullis vicinis bel-  
 giae terris dispositio *mortis causa* super bonis stemmaticis & stipalibus  
 est quoque verita, & quidem non ex alia, nisi hac ratione, ne hære-  
 dibus revolutariis everteretur in illis *successio*; & tamen hucusque né-  
 mo somniavit, quod eam ob rationem nec dispositio de hisce bonis,  
 quae *inter vivos* sit, valeat, utut hac *inter vivos* dispositione jus suc-  
 cedendi hæredum revolutariorum è medio tollatur, ergo à pari &c.

- c) *Necessitate* namque *suadente* poterat olim vasallus domino *inscio & invito feu-*  
*di* partem vendere, retenta videlicet altera parte... donare autem, aut JUDI-  
 CARE PRO ANIMA.. *nullius* poterat curiae consuetudine. II. f. 9. pr. & §. I.  
 ex quo unico argumentum à prohibita dispositione *mortis causa* ad pro-  
 hibitionem dispositionis *inter vivos* evidentissime enervatur in materia feudală.

## §. XVI.

### Continuatio.

A dhæc in textu cit. a) non *restrictive* de feudo *antiquo*, sed *principa-*  
*liter* de feudo *novo* sermo est, nam *principium* hujus *textus* cum §. p. I.  
 C 2 per

- a) Integer textus ita habet: *Sequitur de successione feudi videre. Siquis igitur*  
*decesserit filius & filiabus superstibus, succedunt tantum filii æqualiter, vel*  
*nepotes ex filio, loco patris sui, NULLA ORDINATIONE DEFUNCTI IN FEUDO*  
*MANENTE VEL VALENTE. §. I. Hoc QUOQUE observatur, ut si frater meus*  
*alienaverit partem suam feudi, vel fecerit investiri filiam suam, si moriatur*  
*sine hærede masculo, nihilominus revertitur ad me. Et olim observabatur us-*  
*que*

per particulam ampliativam: quoque, & cum Spbo 2. per particulam adversativam: vero connectitur. Natura dictionis: vero juxta notoria inducit repetitionem qualitatum & conditionum præcedentis in subsequenrem. Ergo & texrūs principium de eadem feudi qualitate intelligi debet, de qua loquitur Spbus 2.: atqui hic tantum de feudo novo, seu à patre, de cuius successione quæstio est, acquisito loquitur, ceu evidens est ex hisce Spbi 2. verbis: *filia vero non succedit in feudo, nisi investitura facta fuerit in PATRE, ut filii & filiae succedant.* Igitur & textūs principium de feudo novo intelligi, consequenter & clausulam in principio contentam: *nulla ordinatione defuncti in feudo manente vel valente, ad feudum novum applicari oportet.* Præcipue cum nec textūs principii verba, nec etiam analogia juris feudalis exigant, quod præfata hæc clausula ad feudum antiquum restringatur. Inatento hoc textu, dictâque ejus clausulâ autem BOEHMERUS ipse b) sustinet, quod filius feudum novum à patre alienatum revocare non possit. Quomodo igitur textus ille, ejusque clausula sæpedicta: *nulla ordinatione &c. filio tribuere poterit facultatem feudum antiquum à patre alienatum revocandi?*

*que ad quartum gradum tantum secundum quosdam, alii autem dicunt usque ad septimum gradum. §. 2. Filia VERO non succedit in feudo, nisi investitura facta in patre, ut filii & filiae succedunt in feudum.. hæc de hoc feudo paterno.*

b) Loc. cit. §. 13.

## §. XVII.

*quatum iterum à jure agnatorum, & quatum à filio simultanè cum patre investito desumptum.*

Quartum BOEHMERUS loc. cit. argumentum hisce producit verbis: " Praeterea 4) quum filiorum & agnatorum quoad fundamentum, cui innititur jus in feudum succedendi, paria prorsus jura sunt: jus revocandi feudum alienatum, quod agnatis nominatim datur, filiis tanto magis tribuendum est, quo certius constat, ne ultum quidem legis illud impedientis aut prohibentis vestigium in libris feudorum inveniri .. Si illud argumentum comparetur cum arguento BOEMERI primo & secundo supra §. XIII. exposito, manifestum est, illud cum his in substantia plane idem esse, & non nisi nova continere verba,

verba. Non erit itaque, cur illud specialiter refutemus, sed sufficiat ad §. XIII. provocasse, hoc unicum addendo, quod juxta deducta ad §. IV — XII. non tantum plura legum jus revocandi intuitu filii impeditium & prohibentium vestigia in feudorum libris inveniantur, sed & adeo analogia juris obster juri revocandi. *Quintum & ultimum argumentum BOEHMERUS loc. cit.* in eo ponit: "Denique s) quod filii "simil cum patre investitis jus revocandi feudum alienatum ne in con- "troversiam quidem vocetur ab interpretibus juris feudalis". Quam inefficax & irrelevans hocce sit argumentum, BOEHMERUS ipse mani- festat, dum a) filii jus feudum *novum* à patre alienatum revocandi expressis denegat verbis, & tamen hanc mox subjiciat limitationem: "nisi vel jus succedendi sibi promissum acceperint, vel simultaneè cum "patre sint investiti". Cum ergo ipsem BOEHMERUS ex eo, quod filii de feudo *novo* investiti *simultaneè* jure revocandi gaudеant, non audeat inferre, quod etiam non *simultaneè* investiris jus feudum *novum* revocandi competit; etiam exinde facultatem feudum *antiquum* revo- candi nullo filiis adstruere poterit jure, siquidem eadem disparitatis ratio, quæ inter filios *simultaneè* investitos & non *simultaneè* investitos in- tercedit intuitu feudi *novi*, etiam ad feendum *antiquum* perfecte qua- dret, eoquod filii *simultaneè* investiti in feudo *novo* æque ac *antiquo* non beneficio patris sed jure proprio per *simultaneam* investituram acquisito suc- cedant, quod tamen tam in feudo *novo* quam *antiquo* secus est, si *simultanea* investitura deficiat."

a) Loc. cit. §. 3.

### §. XVIII.

*Quod filius, qua haeres patris, jure revocandi non gaudeat, confir- matur generali quodam principio à BOEHMERO pro contraria sua opi- nione fundanda adducto.*

**N**e exceptio, quod filius in feudo successurus hæreditati patris allo- diali debeat se immiscere, juri revocandi sit impedimento, BOEHMERUS a) conatur evincere, quod obligationi hæredis præstandi factum de- functi satisfiat, si filius pretium feudi alienati refundat alienatario. Ad hoc

a) Loc. cit. §. 4.

hoc probandum sequens efformat principium generale: « Obligatio-  
 « nis, qua ob aditam hæreditatem hæres obstringitur, vis omnis in  
 « eo posita est, ut defuncti facta, quæ vel ad res in hujus potestate  
 « positas spectant, vel ad res, quæ pendent ab hæredis arbitrio, is præ-  
 « stare teneatur. Quæ vero defuncti facta neque ad res defuncti; ne-  
 « que ad res hæredis proprias respiciunt, ab hærede præstanta non sunt. »  
 Hocce principium legibus omnino conveniens tanquam certum & in-  
 dubitatum agnoscimus, ac inde sit argumentamur: atqui alienationem  
 feudi consenſu domini firmatam approbare, & ratihabere, pender à filii,  
 hæredis patris, arbitrio b), ac feudum quoad suū usum pertinet ad res  
 filii & hæredis patris alienantis proprias c). Ergo & filius, qua hæres  
 defuncti patris feudum alienantis, hujus factum præstare, ideoque  
 feudum ab hoc alienatum revocare non potest.

- 
- b) Quia textus 11. f. 52. pr. & 11. f. 55. pr. arbitrio vasalli relinquunt,  
 feudum cum domini consenſu alienare.  
 c) Hoc enim ipse BOEHMERUS loc. cit. §. 5. hisce propriis defendit verbis:  
 “ Feudi quoque commodum, donec filio vita suppetit, in rebus ejusdem  
 “ propriis annumerare licet „.

## §. XIX.

*Explicatur l. 69. §. 1. ff. de legat. 2. à BOEHMERO obmota.*

**P**osito generali hoc principio BOEHMERUS ita pergit: « Hinc nec alie-  
 « natione fideicommissi, familiae relietti, ii, qui sunt de familia stare  
 « obligantur, nec in eâ revocandâ hæreditatis aditione impediuntur „,  
 provocans loc. cit. lit. m. ad PAPINIANUM in l. 69. §. 1. ff. de legat. 2.  
 ita respondentem: Prædium, quod nomine familiae relinquitur, si NON VO-  
 LUNTARIA facta sit alienatio, sed bona hæredis veniant, tantum emptor  
 retinere debet, quamdiu debitor haberet bonis non venditis: post mortem ejus  
 non habiturus, quod exter hæres præstare cogeretur. Verum hæc lex pro-  
 justificando BOEHMERI asserto minime sufficiens est, siquidem ex ea non  
 appareat, quod proximior de familia in fideicommissio successurus si-  
 mul sit possessoris & fideicommissum familiae alienantis hæres cætero-  
 quin universalis: hoc enim non tantum ex nullo hujus legis verbo  
 colligi potest, sed & nequidem verosimile est, eoquod in casu dictæ  
 legis hæres fiduciarius, fideicommissum alienans, adeo obæratus fue-  
 rit,

rit, ut illius bona publice distracta sint, ceu indicant verba: *sed bona hæredis venant*: præsumi autem non potest, quod proximus de familia in fideicommisso successurus hæreditatem fiduciarii hæredis, utope debitoris taliter obærati, cæteroquin universalem adierit. Et lex cit., si ita non explicaretur, contradiceret aliis legibus a) clare definiensibus, quod, si possessor fideicommissi familie illud extraneo per ultimam voluntatem relinquat, & proximiorem de familia, ideoque ad successionem fideicommissariam de se qualificatum instituat hæredem, huic non licet petere fideicommissum ab extraneo.

a) L. 114. §. 15. 16. & 18. ff. de legat. 1. ubi: cum pater filio hæredem instituto, ex quo tres habuerat nepotes, fideicommissit, NE FUNDUM ALIENARET, ET UT IN FAMILIA RELINQUERET, & filius decedens duos hæredes instituit, tertium exhæredavit, eum fundum extraneo legavit: divi severus & Antoninus rescriperunt, verum esse non paruisse voluntati desuetti, §. 16. sed & si cum duos exhæredavit, unum hæredem instituit, fundum extraneo legavit, ut putat Marcellus, POSSE EXHÆREDATOS PETERE FIDEICOMMISSUM... §. 18. Item si unum hæredem instituisset, nec quicquam legasset, EXHÆREDATI NIHIL INTERIM, QUAMDIU IN FAMILIA RES EST, PETERE POSSUNT. Item l. 67. §. 3. & 4. ff. de legat. 2. ubi: sed si uni ex familia hærede instituto, ille fundus extraneo relictus est: perinde fideicommissum ex illo testamento petitur, ac si nemo de familia hæredi hæres extitisset. VERUM IS, QUI HÆRES SCRIPTUS EST, RATIONE DOLI EXCEPTIONIS CÆTERIS FIDEICOMMISSUM PETENTIBUS FACERE PARTEM INTELLIGITUR: NAM QUÆ RATIO CÆTEROS ADMITTIT, EADEM TACITAM INDUCIT PENSATIONEM. §. 4. Si duos de familia non æquis portionibus hæredes scriperint, & partem (forte quartam) extero ejusdem fundi legavit. Pro his quidem portionibus fideicommissum non petetur, non magis, quam si alteri fundum prælegasset. Pro altera vero parte, quæ in extraneum collata est, virilem, qui sunt de familia, petent, ADMISSA PROPTER HÆREDES VIRILIUM PORTIONUM PENSATIONE.

## §. XX.

*Explicatur l. 67. §. 3. & 4. ff. de legat. 2.*

**O**bmover equidem adversarius noster BOEHMERUS a) ex his legibus §. preced. lit. a. adductis tantum colligi "fideicommisso per ultimam "vo-

a) *Dissert. cit. cap. 2. §. 4.*

“ voluntatem in extraneum collato hæredes fiduciarii hæredis illud  
 “ persequi non posse, si præter eos alii adsunt de familia, qui illud  
 “ perant, hæredis tamen in partem vocatis; fin vero nulli præter hos de fa-  
 “ milia supersunt, iisdem fideicommissum petere integrum est ”. Hoc asser-  
 “ tum ipse b) ex eo probare ntitur, quia “ in l. 67. §. 3. ff. de le-  
 “ gat. 2. ejusmodi fideicommissum extraneo relictum, uno de familia  
 “ hærede instituto, peti posse dicitur, ac si nemo de familia hæredi  
 “ (fiduciario) hæres extitisset. Institurus ergo eodem, quo, si hæres  
 “ scriptus non esset, uteretur, jure ad fideicommissum venit; id quod  
 “ declaratur verbis, quæ insequuntur: verum is, qui hæres scriptus est,  
 “ ratione doli exceptionis cæteris fideicommissum potentibus facere partem in-  
 “ telligitur: nam quæ ratio cæteros admittit, eadem tacitam inducit pensatio-  
 “ nem, id est: solutionem seu distributionem ejus, quod ad omnes  
 “ pertinet. Hoc sensu pensatio in §. 4. ejusdem legis usurpat: admissa  
 “ propter hæredes virilium portionum PENSATIONE ”. Huc usque BOEHMERUS,  
 cui ita respondemus: Quod hæres institutus cæteris de familia  
 ad fideicommissum vocatis partem faciat, ideoque hi accipiunt partes  
 tantum viriles, deducta scilicet parte hæredis instituti, clara legis ver-  
 ba extra dubium ponunt: Quod autem (ut vult BOHMERUS) hæc pars  
 hæredis instituti huic ipsi profit, & compensando acquiratur, adeoque  
 extraneus ab hac excludatur, ex dicta lege non tantum conjecturari  
 nequit, sed potius contrariorum exinde se manifestat: Enimvero in casu  
 cit. legis extraneus fundum fideicommissarium non ex hæredis instituti,  
 sed ex testatoris manibus immediate consequitur c). Perconsequens post  
 testa-

b) Ibid. lit. p.

c) Nam si hæres institutus ex testatoris, & extraneus dein ex illius manibus  
 acciperet fideicommissum, cæteris de familia pars nulla virilis competen-  
 ret, uti expresse sancitum in cit. l. 67. §. 5. hisce: sed eti fundum hæres  
 uni ex familia reliquerit, ejusque fidei coniigerit, UT EUM EXTERO RESTI-  
 TUAT: quæsum est, an hoc fideicommissum peti possit? dixi ita demum  
 peti posse, si præterea tantundem ei relictum esset, quod fundi pretium efficiat:  
 sed siquidem ille prior testator ita fideicommissum reliquisset: ROGO FUNDUM,  
 CUI VOLES, AUT QUIBUS VOLES EX FAMILIA, RELINQUAS, rem in expe-  
 dito fore: quod si talia verba fuissent: PETO, NON FUNDUS DE FAMILIA  
 EXEAT, hæredis hæredem propter sequens fideicommissum, quod in exterum  
 collatum est, oneratum intelligi; PETITURIS DEIN CÆTERIS EX PRIMO TES-  
 TAMENTO FIDEICOMMISSUM POST MORTEM VIDELICET EJUS, QUI PRIMO  
 ELECTUS EST.

testatoris mortem fundus ille pro nullo momento in hæredis instituti personam transit, sed statim ab extraneo acquiritur. Ideoque cæteri de familia viriles suas portiones nequidem possunt ad hæredem instituto, sed necessario debent ab extraneo petere. Compensatio, de qua in dicta lege sermo est, fit detrahendo partem fidei commissarii hæredi instituto de se competentem: atqui hæres institutus hanc partem detrahere nequit, quia fundum fideicommissarium non possidet, & hinc à cæteris de familiâ pro extradendis partibus suis virilibus nequidem convenibilis est; extraneus autem potest eam detrahere, quia fundus integer per testatoris manus ad hunc pervenit, ideoque & à cæteris de familiâ pro portionibus suis convenibilis est. Ergo & non ille, sed hic præfata compensatione (seu juxta legis verba: pensatione) uti, consequenter lucrum inde proveniens sibi acquirere debet, & sic ad hædem institutum nulla fundi fideicommissarii pars transit, sed is à toto maner exclusus. Præsertim si attendatur, quod ex hæredati nihil interim, quamdiu in familia res est, petere possint d), & nihilominus sanctum sit: si pater, cum duos (filios) ex hæredavit, unum hæredem instituit, fundum extraneo legavit, posse ex hæredatos petere fideicommissum e). Ex quo unico evidens est, quod proximiiori de familia, hæredi instituto, fideicommissum extraneo relictum in familiam revocare non licet, quia alias ex hæredati hoc in casu ad successionem venire non possent. Imo quod hæres institutus adeo in casu, quo nulli præter illum de familia ad petendum fideicommissum supersunt, hoc ab extraneo repetere non audeat, contra BOEHMERUM evincitur ex clara cit. l. 67. §. 5. f), ubi scilicet cautum est, quod si testator hæredis instituti fidei commiserit, ut fideicommissum familiæ extraneo restituat, tunc is hocce fideicommissio censeatur oneratus, & extraneus illud totum petere possit, quin pars ulla virilis ad cæteros de familia vivente hærede instituto perveniat.

d) L. 114. §. 18: ff. de legat. 1. verum enim est in familia reliquise, licet uni reliquisset. L. cit. §. 17. nam postquam paritum est voluntati, cæteri conditione deficiunt. cit. l. 67. §. 2.

e) Cit. l. 114. §. 16.

f) Vid. hoc §. lit. c.



## §. XXI.

*Ad obmotam l. 69. §. 1. ff. de legat. 2. ulterius respondetur.*

**Q**uidquid si cit. l. 67. §. 1. ff. de legat. à BOEHMERO obmota (posito sed non concessso) interpretari non posset, uti supra §. XIX explicata & restricta est ad casum, quo proximus de familia *non simul* est hæres defuncti universalis, tamen adhuc alia subintraret decantata interpretationis, & legum sibi apparenter contradicentium conciliacionis regula, scilicet: quod lex quæstionem *principaliter* decidens semper sit præferenda legi hanc tantum *incidenter* tangenti. Atqui cit. l. 114. §. 15. 16. & 18. ac cit. l. 67. §. 2. 3. 4. & 5. propositam quæstionem: num proximus de familia, si simul sit hæres institutus universalis, fideicommissum familie extraneo relictum revocare possit? *principaliter* definitiunt: econtra cit. l. 69. §. 1. hanc quæstionem *incidenter* tantum tangit, & *principaliter* versatur circa quæstionem: utrum fideicommissio familie in extraneum alienato *statim vivente* *adbuc alienatore*, an vero *eo demum mortuo* à cæteris de familia repeti possit a), ceu patet

- a) Incidenter hic dictum sit, quod pro resolvenda hac quæstione variis distinguendi sint casus: vel enim fideicommissum alienatur propter debitum testatoris fideicommissum constituentis, vel non: Si illud, tum fideicommissum extinguitur, nam si hæredis propter TESTATORIS credores bona venierunt, fortunam communem fideicommissarii quoque sequuntur. L. 114. §. 14. ff. de legat. 1. ideoque si creditor ab eo, qui TESTAMENTUM FECIT, domum acceptam jure pignoris vendidit: contra emptorem fideicommissi causa, tametsi voluntatem defuncti non ignoravit, nihil decerneretur. l. 78. §. 4. ff. de legat. 2. Hoc idem de libertate fideicommissaria cautum est in l. 9. ff. de fideicommiss. libert. Sin hoc, id est: Si alienatio non fiat propter testatoris fideicommissum constituentis debitum, subdistinguendum est, sub qua formula fideicommissum sit primitus constitutum. An sub illa: *ne fundus alieneretur, sed ut in familia relinqueretur*: an vero sub hac: *ne fundus de familia exeat*. Si fideicommissum sub hac ultima formula sit relictum, proximi de familia vivente alienatore jure revocandi non gaudent, nam si talia verba fuissent, PETO, NE FUNDUS DE FAMILIA EXEAT, hæredis hæredem propter sequens fideicommissum, quod in exterum collatum est, oneratum intelligi, petituris deinceps cæteris ex primo testamento fideicommissum POST MORTEM videlicet ejus, qui primo electus est. Et ideo... non alias, ei, qui electus est, fideicommissum praestandum erit, quam interpositis cautionibus; fundum, CUM MORIETUR, si

ter ex hujus legis verbis: si NON VOLUNTARIA sit alienatio, sed bona hæredis VENEANT, tamdiu emptor retinere debet, quamdiu debitor haberet bonis non

D 2

non in familia cum effetu reliqueretur, restitui. Ita sancivit l. 67. §. 5. & 6. ff. de legat. 2. Eaque de causa in cit. l. §. 3. & 4. cavitur, quod cæteri de familia non tantum fideicommissum, sed portiones suas viriles tantum accipiant, parsque hæredis instituti virilis admissa penitacione remaneat penes extraneum, cui fundus fideicommissarius est relicitus. Sin fideicommissum sub priore formula: ne fundus alienaretur, sed ut in familia relinqueretur, constitutum sit, ulterius debet distingui, num alienatio sit necessaria, an voluntaria: si alienatio sit voluntaria sive inter vivos sive mortis causa, cæteri de familia statim vivente etiam alienatore fideicommissum repetunt: etenim si testator fratre hærede instituto petit: NE DOMUS ALIENARETUR, SED UT IN FAMILIA RELINQUERETUR. Si non paruerit hæres voluntati, sed DOMUM ALIENAVERIT, VEL EXTERO HÆREDE INSTITUTO DECESERIT: omnes fideicommissum petent, qui in familia fuerunt. L. 69. §. 3. ff. de legat. 2. Quare in casu, quo patronus libertis prædium reliquit, ac petuit: NE ID ALIENARENT, UTQUE IN FAMILIA RETINERENT, si excepto una cæteri partes suas vendiderint, qui non vendidit, cæterorum partes, quibus non dedit alienandi facultatem, integras petet. Eos enim ad fideicommissum videatur invitasse, qui iudicio paruerunt: alioquin perabsurdum erit, VICE MUTUA petitionem induci; scilicet ut ab altero partem alienatam quis petat, cum partem suam alienando perdidit. Sed hoc ita procedere potest, si pariter alienaverit. Cæterum prout quisque prior alienaverit, PARTEM POSTERIORIBUS non faciet: qui vero tardius vendidit, ei, qui non vendidit, in SUPERIORUM PARTIBUS fecisse PARTEM intelligitur. L. 77. §. 27. ff. de legat. 2. Eadem hæc deciso in l. 9. & l. 21. ff. de fideicommiss. libert. applicatur quoque ad fideicommissariam libertatem. Si vero alienatio sit necessaria propter hæredis fiduciarii alienantis debitum, per hujus denum mortem cæteris de familia jus revocandi nascitur, enim vero si non VOLUNTARIA facta sit alienatio, sed bona hæredis VENEANT, tamdiu emptor retinere debet, quamdiu debitor haberet bonis non venditis, POST MORTEM EJUS non habiturus. L. 69. §. 1. ff. de legat. 2. Interim intuitu fideicommissariæ libertatis pro hoc casu specialiter provisum est, quod etiam si alienatio servi sit necessaria propter hæredis fiduciarii alienantis debitum, servus statim vivente etiam alienatore consequatur libertatem, nam idem (quod nec quasi POST MORTEM hæredis data videatur, sed CONFESTIM libertas petatur) probandum est, & si non VOLUNTARIA alienatio ab hærede facta est. Nec refragabitur, quod non per ipsum alienatio facta est: sicut enim quasi statu liber, & quacunque ratione conditio impleta est. Cit. l. 21. ff. de fideicommiss. libert.



*non venditis. Ergo in decidenda prima quæstione citatis legibus 114 & 67.  
illam negative resolventibus indistinctim insistendum est b).*

- b) Notari heic meretur, quod, quam certum sit, dispositionem per ultimam voluntatem factam esse veram alienationem, tam aperte sibi contradicat BOEHMERUS, dum in *cit. dissert. cap. 3. sect. I. §. 4.*, differat: "hinc nec alienationi fideicommissi familiae relieti, ii, qui de familia sunt, stare obligantur, nec in ea revocanda hereditatis aditione impediuntur, : contra autem loc. cit. cap. 2. §. 3. expressis fateatur verbis: "ex his colligitur, ultimam de ejusmodi fideicommissio (ne fundum alienaret, & ut in familia relinqueret) voluntatem, qua in familia id relinquitur, omnino valere, eodem autem per ultimam voluntatem in extraneum collato, heredes fiduciarii heredis illud perseguiri non posse, si praeter eos alii adsunt de familia, qui illud petant, ."

## §. XXII.

*Quod hæres alienationem defuncti impugnare non possit, hic non suo jure efficit, sed obligatio ab illo sponte suscepta ejus causa est.*

Suum BOEHMERUS a) ita continuat argumentum: "Neque enim is, qui rem alienat, quam ea lege, ut aliis eam restituat, possidet, jure suo efficerere potest, ut ea in perpetuum emptori permaneat, quoniam ipsius jus morte durare definit, ". BOEHMERUS heic sane in falsissimo est supposito: credit enim, quasi defunctus jure suo efficeret, ut hæres ejus factum præstare debeat, cum tamen extra omnem positionem sit controversiam, quod fundamentum præstandi factum defuncti in aditione hereditatis consistat, quam adire vel repudiare à liberrimo dependet heredis arbitrio, ita tamen ut si eam semel adierit, hoc ipso in defuncti personam subintret, unanque cum eo repreäsentet b). Quam indubitatum nunc est, quod non defunctus jure suo, sed hæres proprio & voluntario suo facto, hereditatis scilicet aditione, efficiat, ut defuncti factum præstare debeat, tam evidens quoque esse oportet, quod non defunctus jure suo, sed hæres proprio & voluntario suo facto efficiat, ut res, huic restitui jussa, in perpetuum apud emptorem maneat. Sicuti quoque is, qui rem prorsus alienam nullo juris vinculo sibi

a) *Dissert. cit. cap. 3. sect. I. §. 4.*

b) *Nov. 48, in prefat.*

sibi subjectam, sed alium dominum recognoscentem alienat, jure suo efficere non valet, ut huic eam vindicare volenti obster exceptio rei venditae & traditae, & nihilominus tamen hic, si fiat haeres alienantis, proprio & voluntario suo facto, hereditatis scilicet adiunctione, efficit, ut hac exceptione excludatur a vindicatione rei suae propriæ c).

c) L. I. §. I. ff. de except. rei vendit. & tradit. supr. §. 12. adduct.

### §. XXIII.

*Pater, haeres Fiduciarius, filiis jus succedendi in fideicommissum invertere valet.*

Pergit porro BOEHMERUS loc. cit.: " Neque (pater) filiis jus succeden-  
di in eam (rem restitui iussam) intervertere valet, quum id ipsum  
adversetur fideicommittentis voluntati, quam leges tuentur & ser-  
vant,. Ast legibus clare loquentibus sileat BOEHMERUS hisce reluctans:  
Habemus enim legem a) pro decidenda quaestione: an & in quantum  
filius fideicommissum a patre alienatum revocare possit? vere pragma-  
ticam & notatu dignissimam, cuius casus est hic: HIERIUS filius suis CON-  
STANTINO, ANTHEMIO, CALLIPPIO, ALEXANDERI, & nepoti suo HIERIO hæ-  
reditatem ultima reliquerat voluntate, adiecta hac fideicommissi clau-  
sula: ut eam neque per venditionem, neque donationem, neque permutatio-  
nem, neque quoconque tandem titulo in aliud transferant, rejectante, aut  
eam.. E MEO NOMINE AUT MEA FAMILIA ALIENENT, sed siquidem, quod Deus  
ifaxit, nascantur filii, & relictis post se filiis aut nepotibus.. moriantur, ut  
pro se quisque deputatum.. filius ac nepotibus legitimis aut etiam naturalibus  
suis relinquant... si vero in universum omnes, aut aliqui, aut unus ex iis  
fine liberis decedat, volo ac jubeo, ut.. superstitibus aut superstitionibus CITRA  
ULLAM EXCEPTIONEM RESTITUAT... propterea quod.. per omnia & PERPETUO  
VELIM PERMANERE IN FAMILIA MEA, NEC UNQUAM DE MEO NOMINE EGREDI.  
Volo autem ac jubeo... NE UNQUAM DE FAMILIA MEA, MEOQUE NOMINE  
ABALIENENTUR. Nepos HIERIUS unam domum sibi reliquit aliis vende-  
bat, & aliam transmittebat ad filium suum CONSTANTEM, qui hanc  
matri suae MARIE, & uxori suae, MARIE quoque dictae, testamento me-  
diante pupillari substitutione relinquebat. ALEXANDER, testatoris fidei-  
committentis

a) Nov. 159.

■ ■ ■

committentis filius, testamentum hocce impugnans, domum fideicommissariam à duabus illis revocabat MARUS, ajens: *Defunctum satis manifeste suam in codicillo sententiam de iis rebus declarasse, cum res familiæ conservari voluerit b).* Causa pro & contra perfecte cognitâ sancivit JUSTINIANUS c) ut neque gloriosissimus vir ALEXANDER, aut EJUS FILII, neque reliqui senioris HIERII gloriose memoriae LIBERI, neque ALIUS QUISQUAM OMNIUM, QUI GENUS SUUM IN EORUM FAMILIAM REFERUNT, vel MARIAM & MARIAM gloriofissimas feminas occasione rerum apud istas consilientium, vel alios, apud quos aut hoc tempore res existant, aut ad quos sequente tempore perventuræ sint, in quibus ALIENATIONEM forte HIERIUS gloriose memoriae PROHIBUIT, adoriantur iudicio, aut omnino mentionem de cætero prohibitionis & familiae nominis faciant, & aliquod exinde jus sibi acquirant: utpote cum ET ALII HIERII GLORIOSÆ MEMORIAE FILII RES SUAS ABALIENAVERINT, ET REliquorum quodammodo alienationibus CONSENTERINT, ac per has, neque non alias, quas prædiximus rationes, quæ ad hujusmodi iudicationem & LEGISLATIONEM abunde nobis sufficiunt, sibi pariter & SUCCESSORIBUS suis ACTIONES, QUÆ IPSIS POTUSSENT COMPETERE, SUSTULERINT. Ex quo elucet, quod leges voluntatem fideicommittentis, & expresse præcipientis res fideicommisso subiectas per omnia & perpetuo permanere in familia mea, neque unquam de meo nomine egredi, in tantum non tueantur, ac servari jubeant, ut cum fideicommittentis filii res suas abalienaverint, & reliquorum quodammodo alienationibus consenserint, eorum successores ad eas revocandas ullam retineant actionem, sed potius expresse caveant, quod his omnis actio revocandi sit sublata.

b) Nov. cit. in præfat.

c) Nov. cit. cap. 3.

## §. XXIV.

*Respondetur ad objectas à BOEHMERO l. 3. §. 3. ff. siquid in fraud. patron. fact. & l. 2. c. si in fraud. patron. à libert.*

Ulteriora BOEHMERI loc. cit. verba sunt hæc: “cui consentaneum est illud, quod res, quas leges hæredi relinqui jubent, vel alienari prohibent, si nihilominus alienatæ fuerint, ab hærede revocari possint”. Leges,

ges, ex quibus is a) hoc assertum probare nititur, sunt 1.) l. 3. §. 3. ff. siquid in fraud. patron. fact. b), 2.) l. 2. C. si in fraud. patron. à libert. c), 3) l. 2. c. de in offic. donat. d), & 4) l. 7. c. de agricol. & censit. e). Quam irrelevantes autem sint omnes hæc leges, hisce deducimus: **Enimvero** duæ priores cit. l. 3. §. 3. ff. & l. 2. c. tantum dicunt, quod si libertus, **decedens intestatus**, in fraudem patroni, portionisque huic debitæ f) quid alienaverit, patronus id per actionem calvianam revocare possit, perconsequens non loquuntur de casu, quo patronus liberti hæres est factus, adeoque heic deficit fundamentum, cur ad facta hujus præstanda sit obligatus. Præsertim cum expresse sancitum sit, quod **patronus, patronique liberi, si SECUNDUM VOLUNTATEM MORTUI LIBERTI HÆREDITATEM ADIERINT, legatumve, aut fideicommissum petere maluerint: AD CONTRA**

TA-

- a) Loc. cit. lit. n. & o.
- b) Hujus verba ita sonant: si intestatus libertus decesserit, patronus adeundo hæreditatem ejus revocat per calvianam actionem ea, quæ alienata sunt dolo malo, quominus pars ex testamento debita bonorum liberti ad patronum liberosve ejus perveniret.
- c) Sequentis tenoris: *Defuncto quidem liberto patronus intestato succedens per actionem calvianam in ejus fraudem alienata revocare potest.*
- d) Ubi: Si pater OMNE patrimonium suum impetu quodam immensæ liberalitatis in filium effudit, aut in potestate ejus is manxit: Et arbitri familie ericunda officio congruit, ut tibi quartam partem debitæ ab intestato portionis præstat incolunem: aut si emancipatus is fuit, quia donatio non indiget alieno adminiculo, sed suis viribus nititur contra constitutiones: is, qui provinciam regit ad similitudinem inofficioi testamenti querelæ, auxilium tibi aequitatis impertiet.
- e) Ibi: Quemadmodum originarios absque terra: ita & russicos, censitosque seruos vendi omnifariam non licet. Neque vero commento fraudis id usurpet legis illusor, quod in originariis saepe est adlitatum, ut parvâ portione certæ terræ emptori traditâ, omnis integrâ fundi cultura adinatur: sed cum soliditas fundorum vel certa portio ad unumquemque perveniat, tanti quoque servi & originarii transeant, quanti apud superiores dominos, & possessores vel in soliditate, vel in parte manserunt: Et emptor pretium, quod dedit, amissum exsiliet: nihilominus VENDITORI AD REPETENDOS SERVOS CUM AGNATIONE EORUM VINDICATIONE CONCESSA, & si aliqua ex causa dissimulaverit legis usurpare beneficium, atque iste sub hac taciturnitate decesserit: HÆREDIBUS ejus, & contra hæredes vindicationem damus.
- f) Portio hæc patronis ex hæreditate libertorum debita determinatur in §. 3. inst. de success. liberty.

TABULAS BONORUM POSSESSIONEM NON ADMITTANTUR g), nam absurdum videtur licere eidem partim comprobare iudicium defuncti, partim evertere h). Nec obstat, quod in cit. l. 3. §. 3. dicatur, patronum hereditatem liberti adiisse, & nihilominus in fraudem alienatum revocare posse: siquidem in casu hujus legis libertus decessit intestatus, ideoque patronus hereditatem illius, ultra portionem sibi ex lege debitam, fraudulenta alienatione diminutam non liberti intestato decedentis beneficio ac liberalitate, sed solius legis beneficio tanquam creditor legalis adiit, consequenter deest ratio, cur hic facta liberti, debitoris sui legalis, praestet.

g) L. 6. §. 4. ff. de bon. libert. add. l. 8. §. 3. eod.

h) L. 7. eod.

## §. XXV.

Nec non ad l. 2. c. de inffic. donat. & l. 7. c. de agricol. & censit.

Hæc eadem responsio quadrat quoque ad obmotam l. 2. c. de inoff. donat., eoquod in casu illius etiam filius non est hæres patris inofficiose donantis: si enim is hujus hæres fuisset, donationem impugnare non potuisset, ceu probatur argumento à contrario l. 24. c. de donat. ubi: *si patri tuo HÆRES NON EXSTITISTI, ex facta ab eo liberalitate titulo donationis non posse jura tua laedi, manifestissimi juris est.* Ad validitatem hujus argumenti à contrario probandam sufficiat testimonium ipsius BOEHMERI a) expresse fatentis: *¶ Jura filii hæredis quidem per donationem terum ipsius, à patre factam, laedi posse, ducto argumento à contrario ex l. 24. c. de donat. colligitur . . — Quod denique obmotam l. 7. c. de agricol. & censit. Atinnet, revera miramur, quomodo BOEHMERUS ex ea deducere velit, hæredem factum defuncti praestare non debere, cum tamen clara illius verba ipsi VENDITORI ad repetendos servos vindicatione concessâ, & (tunc demum) si aliqua denique ex causa dissimulaverit LEGIS usurpare BENEFICIUM, atque iste sub hac taciturnitate decesserit, hæredibus ejus vindicationem dent. In vim hujus legis iraque vendor ipse, & eo defuncto hæres ejus speciale hoc habet legis beneficium, quod servos absque terra alienatos vindicare queat. Perconsequens ex hac lege minime evincitur, quod hæres impugnare possit alienationem,* quam

a) Loc. cit. §. 5. lit. t.

quam servare debuit defunctus. Hæc lex igitur pro substratâ materia tamdiu manet inapplicabilis, quamdiu BOEHMERUS non probat, quod fideicommissum vel feudum alienans ipse speciale hoc habeat legis beneficium, illud ab alienatario revocandi.

### §. XXVII.

*Refutatur BOEHMERUS, dum scribit quod filius, qua hæres patris, satisfaciat obligationi factum defuncti præstandi, si feudum ab hoc alienatum revocet, & pretium refundat.*

Cum hucusque deducta extra dubium ponant, quod hæres in tantum debeat præstare factum defuncti, ut rem propriam ab hoc alienatam revocare non possit, necessario sequitur, BOEHMERUM a) absque omni prorsus asserere juris fundamento, quod "quæ ex aditione hæreditatis paternæ ad filium pertinet obligatio, tota in eo consistat, ut pretium, quo venditum est feudum, emptori restituat". Possemus igitur omne illud, quidquid ille de restitutione pretii in medium produxit, silentio quidem præterire: nihilominus ut falsiras adversariæ doctrinæ eo magis in oculos cadat, non inutile erit, latentes in eo absurditates paucis designare. BOEHMERUS hoc suum assertum conatur ita probare: "Pretium enim simul ac feudum revocatur, apud venditorem, ejusque hæredem sine causa, atque obligatio ad illud restituendum habenda est instar debiti hæreditarii, quo filius, patris hæres, obstringitur. Quapropter is, nisi pretium, quod tempore venditionis solutum est, reddat, jure feudi revocandi uti non potest". Sed quid si allodialis hæreditas patris taliter fuerit obærata, ut nihil exinde commodi pervenerit ad filium, num hic tunc quoque restituat pretium? secundum BOEHMERI doctrinam affirmative responderi oportet, quia secundum eam filius indistinctim, nisi pretium tempore venditionis solutum reddat, jure revocandi non gaudet. Et tamen hoc casu nequit dici, pretium sine causa apud filium hæredem esse, siquidem hicce tali in casu pretium illud minimè possidet. Ergo filius tali in casu ex condicione sine causa obligatus foret ad restituendum pretium, quod ipse non possidet, nec etiam unquam possedit: cum tamen notissimi

E

juris

a) Loc. cit. cap. 3. sect. 1. §. 4. 1



juris sit, fundamentum conditionis *sine causa esse hoc, quod, quia pecunia mea ad te pervenit, eam mibi à te reddi bonum & æquum sit* b). En absurditatem primam! Porro expresse inquit BOEHMERUS, quod obligatio restituendi premium sit *instar debiti hæreditarii*, ergo & illud in casu, quo præter filium existant hæredes alii allodiales, ab his pro partibus suis hæreditariis deberet agnosci c). Et nihilominus BOEHMERUS sine omni restrictione filium, *nisi pretium tempore venditionis solutum reddat, à jure revocandi arceret*. Ergo onus reddendi illud pretium pro partibus hæreditariis non distribuitur inter cohæredes, sed soli incumbit filio. En absurditatem alteram! Nec est, cut dicas, BOEHMERUM hec tantum intelligendum esse de casu, quo filius est solus & unicus hæres patris allodialis: nam dum ipse loc. cit. §. subseq. 5. de rei allodialis alienatæ domino, & simul alienantis hærede ait, quod hic rem propriam repetere non possit, nisi pretio refuso, expresse notat, quod hic, si habeat plures cohæredes, tantum pro sua portione hæreditariæ premium restituere debeat. Quod notamen BOEHMERUS, dum de filio feudum revocante, utpote principali suæ dissertationis objecto, loquitur, certo non omisisset, si illud de filio quoque intellectum voluisset.

b) L. 32. in f. ff. de reb. cred.

c) Nam pro hæreditariis partibus hæredes onera hæreditaria agnoscere, etiam infisci rationibus placuit, l. 2. & 6. c. de hæred. action. l. 14. c. de rei vindic. l. 14. c. ad leg. falcid, l. 7. c. de negot. gest. l. 3. c. de contrar. jud. tutel. l. 7. c. de bon. author. jud. possid.

## §. XXVII.

*Explicatur l. ult. c. de evict. & l. 73. ff. eod.*

Denique BOEHMERUS a) ex l. ult. c. de evict. b), & l. 73. ff. eod. c) hoc trahit argumentum: “quod hæredi jure hæreditario, seu tanquam “hæredi

a) Loc. cit. §. 5.

b) Ubi: hæredem fidejussoris rerum, pro quibus defunditus apud emptorem intercesserat pro venditore, factum ejus, cui successit, ex suâ personâ dominium vindicare non impedit: scilicet evictionis causa durante actione;

c) Ibi: sejca fundos mevianum & sejanum, & cateros doti dedit: eos fundos vir titius, vivâ sejâ, sine controversia possedit: post mortem deinde sejæ, semproniam

“ hæredi negatur, res ipsius à defuncto venditas vindicare, hoc jure proprio & ex suā personā facere non prohibetur, modo damnum, quod reus propterea incurrit, resarciat, seu illud præstet, quod per sententiam judicis ablatā ab omni hærede debetur „. BOEHMERUM vero hasce leges male intellexisse, & explicasse, illas debite exponendo commonstramus: PAULUS jētus in cit. l. 73. enim tantum respondit, quod sempronia, domina fundorum, & hæres sejæ, quæ illos alienavit, jure QUIDEM proprio controversiam fundorum facere, hoc est: illorum vindicationem in judicium deducere, sed titius fundorum possessor 1.) evictis prædiis eandem semproniam hæredem sejæ convenire, vel 2.) exceptione doli mali summoveri possit. Duobus igitur titius fruitur ex hac lege juris remediis, scilicet actione & exceptione. Actionem habet, si permiserit fundos vindicari: tunc enim evictis prædiis contra semproniam vindicantem agere potest ad præstationem evictio- nis. Ast evictis prædiis locum quoque habere nequit exceptio, quia haec est exclusio actionis adversarii, & evictis prædiis impossibile est, quod adversaria sempronia contra titium actionem vindicatoriam instituat, ergo & impossibile esse debet, quod evictis prædiis titio competat ex- ceptio, per quam ab actione summoveri potuerit semproniam. Sequela hinc est necessaria, quod exceptio talis semproniam ab actione summo- veri valens titio debeat competere prædiis NONDUM evictis. Ergo & sem- proniam prædiis NONDUM evictis hac exceptione à sua actione excludi oportet. Genuinus igitur cit. l. 73. Sensus alius non est, quam hic, quod à titii fundorum possessoris electione dependeat, num vindica- tionem à sempronia jure proprio institutam pati, & prædiis evictis ad præstationem evictionis agere, num vero prædiis NONDUM evictis sem- proniam exceptione doli mali ab agendo summovere malit. Prouti hoc quoque in terminis DIOCLETIANUS & MAXIMINUS imperatores d) hisce fancierunt: sed & si hæc (venditrici succedens) ex suā persona vindicet: vel exceptione te doli mali, si HANC VIAM ELEGERIS, tueri, vel re evicta, si

E 2

DEFEN-

---

pronia hæres sejæ questionem pro prædiis proprietate facere instituit: quero, cum sempronia ipsa sit hæres sejæ, an jure controversiam facere possit? PAU-  
LUS respondit: JURE QUIDEM PROPRIO, non HÆREDITARIO, semproniam, quæ sejæ, de qua queritur, hæres extitit, controversiam fundorum facere posse: sed evictis prædiis, eandem semproniam hæredem sejæ conveniri posse, vel exceptione doli mali summoveri posse.

d) In l. 3. c. de reb. alien, non alienand.



DEFENSIONE MONSTRATA UTI NOLUERIS, *quanti tuâ interest*, poteris experiri. Imo hoc nequidem est quid speciale intuitu hæredis proprio jure vindicare volentis, sed & idem quoque intuitu ipsius venditoris juris esse testatur ULPIANUS e), dum in casu, quo ipse venditor vindicatione agit, emptoris electioni committit, *num rem velit retinere intentione per exceptionem elisa: an potius, re ablata, causa stipulationis duplum consequi.* Ex hac ULPIANI doctrinâ autem nullus sanâ præditus ratione audebit inferre, venditorem *invito etiam emptore gaudere jure revocandi rem venditam*, huicque tantum obligatum esse ad evictionis præstationem. Ergo & simile quid ex cit. l. 73. eo minus inferri poterit, quo clariss MARCELLUS f) scribat: *isi dominus fundi hæres venditori existat, bac illum exceptione (rei venditæ & traditæ) recte repellendum, quæ exceptio juxta prima & notissima juris principia non tantum oblato nondum evictionis pretio, sed etiam eo oblato repellit agentem.* — Quod sicuti venditor, ita & fidejussor, quem emptor ab eo evictionis causa accepit, rem suam ab illo venditam vindicare nequeat, omni caret dubio, eequod hic fidejubendo consensum dat venditioni, ideoque tanquam convendor considerari debet g), consequenter & hæres fidejussoris eodem cum hærede venditoris dijudicari debet jure. Ne igitur obmota l. ult. c. de evict. legibus & principiis intuitu hæredis venditoris jamjam *expositis contrarietur*, oportet hanc legem restringi ad casum, quo scilicet emptor pædicitæ electioni de jure sibi competenti renunciavit, declarando: se nolle hæredem *jure proprio* vindicantem exceptione doli mali repellere, sed potius velle evictionem pati, & ad evictionis præstationem agere:

e) In l. 17. ff. de evict. ubi: *vindicantem venditorem rem, quam ipse vendidit, exceptione doli posse summoveri nemini dubium est... ELIGERE AUTEM EMPATOR POTEST, utrum rem velit retinere, intentione per exceptionem elisa: an potius re ablata ex causâ stipulationis duplum consequi.*

f) In l. 1. §. 1. ff. de except. rei vend. & trad.

g) Nam exceptione doli recte eum submovebis, quem ab authore tuo fidejussorem acceperisti, si ejus nomine controversiam refert, quasi per suam uxorem, antequam tu emeres, comparaverit: qui venditioni adeo consensum dedit, ut se etiam pro evictione obligaverit. L. II. c. de evict.

## §. XXXVIII.

## §. XXVIII.

*Refutatur BOEHMERUS in l. 31. ff. & l. 7. c. de liber. caus. SPECIALEM quærens legis decisionem.*

**B**OEHMERUS allegatas supra §. XIII. l. 31. ff. & l. 7. c. de liber. caus. hæredis servum proprium à defuncto, non-domino, manumissum in servitutem reducere prohibentes sub nulla veritatis specie detorquere valens *specialem* in his detergere vult legis decisionem: « quoniam (ut « ipse a) ait) hoc casu nulla alia ratione, quam, alienationem consensu « firmando, factum defuncti præstare potest. Libertas enim non recipit æstimationem, nec si æstimari possit, pretium ejus manumislo, in servitatem rursus vindicato, lucro futurum est, ad quem tamen commode dum ex voluntate & facto defuncti pertinere debet ». Verum præfatis legibus absque omni prorsus fundamento quid speciale attribui, imo si principia adversarii nostri BOEHMERI vera essent, hæredi debere licitum esse, servum proprium à defuncto, non-domino, manumissum in servitutem reducere hisce propugnamus: Enimvero imprimis certum est, quod manumissio sit *donatio libertatis* b), & quod illa à non-domino facta sit *nulla*, ideoque libertatem nequaquam tribuat, sed manumissum in servitute relinquat c). Manumissio à non-domino facta igitur est *nulla* & irrita *donatio libertatis*: « dum vero (hæc sunt ipsa Boehmeri d) verba) irrita sit donatio, nulla est donantis ad pretium rei donatæ præstante dum obligatio; hæredis autem, quoad defunctum representat, non alia est obligatio, quam qua defunctus obstrictus est. Atque eam obligationem, quæ ex donatione ad patrem pertinuit, ne quidquam ficeret, quoniam minus jus translatum penes alterum salvum esset, filius hæres subire non

- a) Loc. cit. §. 5. lit. t.
- b) L. 1. pr. c. de commun: serv. manumiss. ibi: servum libertate DONARE. Et l. 2. eod ubi: eum libertate in sua parte DONARE.
- c) Etenim si pater servum vestrum licet vobis minoribus viginti quinque annis consentientibus manumisit: EI LIBERTATEM PRÆSTARE NON POTUIT. l. 6. c. de his, qui à non domin. manumiss. Nemo enim alienum servum, quamvis ut proprium manumittat, AD LIBERTATEM PERDUCERE POTEST. l. 4. in eodam manumittendo NIHIL EGIT, quia nec dominium natus fuerit. l. 5. ff. de donat.
- d) Loc. cit. §. 6.



“ non tenetur ”. Ergo etiam eam obligationem, quæ ex donatione libertatis ad manumittentem non-dominum pertinuit, ne quidquam faceret, quominus libertas donata penes servum manumissum salva esset, hæres subire non tenetur. Sequela hinc est necessaria, quod secundum hanc BOEHMERI doctrinam hæres deberet servum proprium à defuncto non-dominio manumissum in servitutem repetere posse, quin opus haberet, alienationem consensu firmando, factum defuncti præstare. Ecce BOEHMERUM & sibimet ipsi & claris legibus aperte contradicentem! Porro quid ad rem faciat, quod libertas æstimationem non recipiat? Servus enim à non-dominio manumissus, hoc vivente, ad libertatem non perducitur, & post ejus mortem hæres factum manumissionis subire non teneretur, adeoque manumissus pro nullo temporis momento libertate gavisus est. Hein quid juvat, quod “ nec, si libertas æstimari possit, “ pretium ejus manumisso, in servitutem rursus vindicato, lucro futu-“ rum sit, ad quem tamen commodum ex voluntate & facto defuncti “ pertinere debet ”? Etenim juxta BOEHMERI principia, “ dum irrita “ fit donatio, nulla est donantis ad pretium rei donatæ præstandum obliga-“ tio; hæredis autem, quoad defunctum representat, nulla alia est obli-“ gatio, quam qua defunctus obstrictus est ”. Præsertim cum in casu, quo dominus non-hæres manumissum vindicat, manumittens ejusque hæ-“ res manumisso ad nihil obligetur, licet commodum manumissionis ad manumissum ex voluntate & facto manumittentis pertinere debeat.

## §. XXIX. |

*Refutatur interpretatio l. 24. c. de donat, a BOEHMERO facta.*

A que inconcinne, & sibi contradicenter scribit BOEHMEEUS a): “ Jura “ filii hæredis quidem per donationem rerum ipsius, à patre factam, “ laedi posse, ducto argumento à contrario sensu ex l. 24. c. de donat. “ colligitur, tamen eundem nihilominus ex sententia l. 73. D. & l. ult. “ Cod. de evict. dummodo, solvendo pretium, defuncti voluntati satisfecerit, “ rem donatam vindicare posse arbitror ”: Si enim permisum foret filio, licet patris hæredi, rem in sui præjudicium à patre donatam re-“ vocare, ex cit. l. 73. & ult. ad restitutionem pretii adstringi non pos-“ set

---

a) Loc. cit. §. 5. lit. t.

fet filius. Enimvero hæ leges tantum agunt de evictione, & in obligatione illam præstandi se fundant: donator autem illam præstare minime tenetur b). Si itaque huc applicentur BOEHMERI verba: quod « separant leges & distinguant ea, quæ natura inter se distant, ac « sejuncta sunt, obligationem videlicet hæredis ad factum defuncti « præstandum, & ejusdem jus persequendi ea, quæ præter defuncti voluntatem ad eum pertinent » c) ideoque « dum irrita sit donatio, nulla sit donatis ad pretium rei donatae præstandum obligatio; hæredis autem, quoad defunctum repræsentat, non alia sit obligatio, quam qua defunctus obstrictus est. Atque eam obligationem, quæ ex donatione ad patrem pertinuit, ne quid faceret, quominus jus translatum penes alterum salvum esset, filius hæres subire non tenetur » d); consequentia foret inevitabilis, quod filius donationem rerum ipsius, à patre factam, absque omni restitutio pretii posset vindicare. En iterum BOEHMERUM & sibimetipſi & legibus contradicentem! Exinde nunc evidens est, quod BOEHMERI interpretatio cit. l. 24. c. de donat., cum manifestam involvat contradictionem, pessima, adeoque huic præferenda sit talis, quæ filio, patris hæredi, simpliciter & sine omni distinctione ac restrictione prohibet donationem patris impugnare.

b) Nam labeo ait, si quis mihi rem alienam donaverit, inque eam sumptus maginos fecero, & sic evincatur, nullam mihi actionem contra donatorem competere. l. 18. §. 4. ff. de donat. etenim quid se restituturum donator repromittit, quando uillum pretium interveniat, l. 62. pr. ff. de adil. edit.

c) Loc. cit. §. 5.

d) Loc. cit. §. 6.

### §. XXX.

*Si etiam jus feudale germanicum permitteret filio feudum à patre alienatum revocare, hoc tamen BOEHMERO nequaquam prodeſſet.*

*L*eges feudales germanicas a) à BOEHMERO b) æque ac, ab hoc allegato, LUDE-

a) *Jus feud. aleman. cap. 10. §. 4.* (ex edit Senckenberg) " der Mann ist nicht pflichtig zu leisten des Herrn Gelüpte noch das Kind des Vatters daß sy ir Gut aufgeben und das verlieren ". *Jus feud. Saxon. art. 58.* der Mann ist nicht pflichtig zu leisten sines Herrn Gelobede noch das Kind sines Vaters umbe sin Gut zu lassen "

b) *Cit. Dissert. cap. 3. sett. 1. §. 3, lit. i.*

LUDEWIGIO c) obmoras quod attinet, ad has possemus respondere his  
 BOEHMERI d). Verbis, quod " jure longobardico per germaniam tan-  
 " quam communis recepto .. ut moribus germanorum antiquis vis legis  
 " in foro tribuatur, eosdem vel speciali lege, vel consuetudine servatos esse  
 " ac retentos constare necesse sit .. Sed BOEHMERUS nullà probavit littera,  
 quod leges germanicæ adductæ speciali lege aut consuetudine hucusque  
 servatae fuerint ac retentæ. Perfecto igitur hoc quadrant haec ordinatio  
*jud. imper. aul.* e) verba: " daß gegen unsre klare Lehn-Rechten  
 " denen allegirten, und nicht zu Recht probirten Lehn-Gebräuchen nicht zu  
 " viel in relatione, noch decisione deferirt werde .. Hisce itaque sententia nostra contra præfasas leges germanicas satis tuta redditur, quin  
 opus esset eas ulterius persecutari: nihilominus ad sententiam nostram  
 adhuc magis fundandam, demonstramus usque adeo, quod filius quo-  
 que secundum *jus feudale germanicum* feudum à patre alienatum revo-  
 care nequeat.

- c) In *Dissert. de obligat. successor. in principat. & clientel. cap. 6.* §. 2. lit. a.  
 ubi hic præter leges germanicas à BOEHMERO allegatas adducit adhuc se-  
 quentes: " Sachs. Land-Recht. lib. I. art. 9. Stirbt auf einer, der sein  
 " Lehen einem anderen auflassen solle, dessen ist es nicht pflichtig aufzulassen.  
 " Er hab denn selber mitgelobt, oder Bürgen davor gesetzet .. ibid. art. 22.  
 " Ohne der Erben Laub, und ohne Gericht mag kein Mann sein eigen Gut,  
 " noch seine Leute vergeben .. Post haec ulterius ita pergit: " Neque etiam  
 " ulla obligatio filii vasalli in feudo ex delicto patris. Schwab. Lehn-Recht,  
 " cap. 89. Si pater delictum commiserit feudale, privetur feudo, vindicetque  
 " illud sibi dominus. Het aber der Mann einen Sohn, dem sol er (de do-  
 " mino loquitur) das Lehen leihen. Porro neque respondere tenetur filius  
 " in causa feudali ex facto patris. Schwab. Lehn-Recht. cap. 83. der Sohn  
 " antwortet nicht an des Vaters Statt im Lehn-Rechte, nisi actio sit jure  
 " concepta in rem vivo patre. Es seye dann, daß er das Gut in seiner  
 " Gewalt habe, da der Vater um beschlagt werde, da er lebete. Neque aliter in  
 " uxorum donationibus, si ultra modum sint, cum filiorum consensu con-  
 " cipiendis. Schwab. Land-Recht. lib. I. art. 20. & 21. Es gibt ein Mann  
 " seines eigenen seinem Weibe nicht ohne der Erben Urlaub, wenn sie zu ih-  
 " ren Tagen kommen. Sonst schadet ihnen nicht die Gabe, die ein Vater ges-  
 " than hat. Imo etiam de bonis avitis habetur im Schwab. Land-Recht.  
 " lib. I. art. 32. Ohne der Erben Gelop mag kein Mann sein eigen Gut  
 " noch seine Leute vergeben ..
- d) *Dissert. cit. cap. I. §. 15.*
- e) Tit. 5. §. 1, conf. *Dissert. nostr. sistens filium beneficio patris &c.* §. 18.

## §. XXXI.

*Secundum jus feudale germanicum filius feudum a patre alienatum revocare nequit.*

**L**egum germanicarum, quæ patri permittunt feudum in præjudicium hæredum feudalium, id est: filiorum, alienare, plurimæ sunt: sic 1) *jus cæsareum* a) & *jus feudale saxonum* b) referunt, vasallo licere uxori suæ cum domini consensu constitutæ dotalitium etiam in filiorum suorum præjudicium. Sic quoque 2) *jus feudale allemannicum* c) & *bavanicum* d) testantur, quod pater in præjudicium suorum filiorum oppignorare possit feudum, ita ut hi post mortem patris intra sex septimanas & unum diem illud reluere debeant. Quod autem constitutio dotalitii æque, ac oppignoratio sit vera alienatio, juris tyrones sciunt.

F

Deni-

- a) *Cap. 33.* (ex edit. Senckenberg) ubi: quisquis uxori suæ dotalitium constitueret cupit, ut firmum illud sit ex bonis imperii: is querere debet bona condominio non obnoxia, & non oppignorata.. & petere, ut adeo imperator velit prædium hocce in dotalitium dare uxori suæ absque omni impedimento, & debet deinde feudum hoc in manus imperatoris resignare, & tunc imperator ideo iuvestituram faciet, & litteras conscribi defuper jubebit, & tunc hocce dotalitio per imperatorem constituto uxori & maritus communiter illud feudum tenebunt, quo eum in modum possessio, fieri non potest, ut aliquis illud eripiat secundum jus imperii.
- b) *art. 33.* (ex edit. ead.) " Lihet aber ein Herre einer Drowen Gut nicht noch " gedinges Rechte wenn mit den benymeten Worten zu irme libe daz leen sal " er ir stete haltene zu irme libe alleine gewunne si och wol Sune dar nah " die Sune mogen es ir nit brechen allein deste ir Man mit deme gute in " rechten geweren sterbe .."
- c) *Cap. 92. §. 1.* (ex edit. ead.) Si vasallus feudum de quo investitus est à domino, oppignorat sine consensu ejus... §. 2. Si vero vasallus hæredes feudales reliquit, illi tenentur feudum liberare à die, quo post mortem patris resciverunt, intra sex septimanas & unum diem.
- d) *Cap. 24.* (ex edit. ead.) " Versetzet ain Man gut daz er von dem Herren " zu lehen hat aun dez Herren hant... lat aber der Man Lehens-Erben hins " der inn die sulen daz Gut lösen nach dem Tag und si ir Vater Lodez innan " worden sint inner sechs Wochen und einen Tag .."





Denique 3) *jus cæsarcum e), ac jus feudale bavaricum f)* disertis verbis concedunt vasallo sano facultatem feudum alienandi sine hæredum feudum consensu. Quidquid 4) si alienatio domino invito & consentire nolente facta sit, vasallus alienans secundum *jus feudale alemannicum g)* satisfacit, si domino alium fundum ejusdem valoris in feudum offerat, aut illi hanc acceptare nolenti æstimationem feudi alienati in redhostimentum tradat. Et sic hac ratione ipsum adeo feudum finiri, à patris voluntate dependet.

- e) Cap. 28. ubi: notum esto, quod imperator vasallis gratiose concederit, ut necessitate coacti vendere possint feoda sua sibi æqualibus absque contradictione, qui vero condominos habent, ut potius his vendant, si tantundem ac extranei dare velint, quando vero hi nolent, ut vendere possint imperatore consentiente cuique emptori, siquidem condominos non habeat, etenim in jure imperii habetur: consentiente imperatore, necessitate adactus, feudum suum rite vendit.
- f) Sive extraflitus eorum, quæ in jure provinciali bavarico de feudis extant. cap. 194. (ex edit. ead.) Uniusquisque dum vivit, consensu domini de feudo pro lubitū disponit, nec hæredes hoc possunt prohibere; si vero decumbat lethali morbo, non potest illud sine hæredum consensu. Alias omnia, quæ agit, sunt invalida. &c cap. 204. ubi: qui feudum aut allodium habet sive parvum sive magnum, & hæredes eum in impedire volunt, quominus illud alienet, id debet juramento confirmare, se non amplius posse retinere huncce fundum ob famam aut frigus, vel aliam necessitatem, quam nominet, & adeo non dolose vendere; quo facto offerat illum propinquioribus, qui si tantundem dare velint ac alii, ipsis fundum concedat; sin minus, potest vendere cuilibet, & ideo scribenda sunt litteræ judicij propter Warandiam, & ILLE, QUI EMIT, HOC IPSO SATIS OBTINET FIRMITATIS.
- g) Cap. 87. § 1. Ubi: si vendit vasallus feudum alteri, & promittit rem confidere in ipsius gratiam cum domino, ut absque ullo dispendio eo potiatur.. §. 3. atque si à domino id obtinere non potest, tunc illi alium fundum offerat, qui æqualis valoris est cum illo fundo. §. 4. quod si nec hoc impetrare poterit, tunc vasallus jurato æstimare debet fundum, & tantundem domino in redhostimentum tradere.

### §. XXXII.

Respondetur ad *jus feud. alemann.* cap. 70. §. 4. & *jusfeud. saxon.* art. 58. à BOEHMERO in medium productum,

**N**eque leges germanicæ à BOEHMERO & LUDEWIGIO in medium productæ juri germanico §. præced. exposito contradicunt: Enimvero illæ, quas

quas ex BOEHMERO §. XXX. lit. a. allegavimus, scilicet *jus feud. aleman.*  
*Cap. 70. §. 4.* & *jus feud. saxon.* art. 58., nequaquam agunt de alienatione feudi per traditionem consummata, sed tantum dicunt, quod filius non debeat adimplere patris promissum de feudo tradendo. Germani autem alienationem per traditionem consummatam aliter ac nudum promissum de re tradenda dijudicarunt. Sic licet alienatio bonorum avitorum sine hæredum consensu olim fieri non potuerit, tamen LUDOVICUS PIUS a) sancivit, Iquod hæres alienationem traditionem consummatam impugnare non possit, sed eam ratihabere debeat. Pari ratione in jure provincialeman. b) cautum est, quod si quis alicui bona sua relinquat, & hoc traditione statim firmet, hæredes contradicere amplius nequeant; sicuti tamen possunt, antequam traditionis firmamentum acceperit. Hanc inter utrumque casum differentiam diserte agnoscit *jus feudale allemannicum* c) ita se exprimens: *siquis in præjudicium domini vel filiorum, vel alterius, qui jus successionis habet, feudum alienat, refutatione vel subinfudatione, ET MOX ILLUD AC FRUCTUM RECIPIT, IN POSSESSIONEQUE CONTINUAT USQUE AD MORTEM SUAM, eo non impedit, quominus successores feudales feudum jure petere possint.* Cum quo æque clarè loquitur *jus feudale saxonicum* d), dum statuit, quod filii dotalitium uxori à patre constitutum impugnare non possint, nisi pater tempore mortis illud uxori suæ vobandum tradiderit, sed adhuc in possessione habuerit. Per consequens

F 2

præ-

- a) *Lib. IV. capit. franc. cap. 19.* ubi: *& coram eis rerum suarum traditionem faciat, & fidejussores investiturae donet ei, qui illam traditionem accipit, est vestituram faciat.* Et POSTQUAM TRADITO ITA FACTA FUERIT, HERES ILLIUS NULLAM DE PREDICTIS REBUS VALEAT FACERE REPETITIONEM. Insuper & ipse per se fidejussionem faciat ejusdem vestiturae, ne hæredi ulla occasio remaneat traditionem immutandi, sed potius necessitas incumbat illam perficiendi. apud SCHILTER. *Thesaur. antiquit. teuton.* tom. 2. pag. 239.
- b) *Cap. 23. §. 2.* (ex edit. Schilter) ibi: *quod si autem ille (qui amicis ita benefacere vult) id optima ratione vult firmum reddere, tunc assignet illi (amicis suo) censem aliquem super illis bonis, QUO FACTO STATIM ACQUIRIT POSSESSIONEM ILLORUM, ET BONIS ILLIS PRIVARI AMPLIUS NON POTEST.* §. 3. *quod si ille hæredes habeat, hi possunt contradicere, ANTEQUAM HIC ACTUS ITA FUERIT FIRMATUS,* quod si in debito tempore non faciunt, sibi præjudicant.
- c) *Cap. 34.* (ex edit. Senkenberg.)
- d) *art. 33. supr. §. præced. lit. b. alleg.*



præfatae leges germanicæ de patris promissæ feudum tradendi loquentes eo minus ad alienationem traditione consummatam extendi possunt, & filius hanc à patre factam eo minus impugnare valet, quo certius præterea est, quod pater per ejusmodi alienationem amittat feudi possessio-nem, feudum autem absque possessione nunquam hereditetur in filium. e).

e) " Welch gut ein Man in sinen Geweren nicht en hat und inne nicht be-  
" weiset ist deme enmac her nicht gevolgen an einen andern Herren noch er-  
" ben, an sinen Sone „, Sächs. Lehn-Recht art. II. (ex edit. Senckenberg)  
Item: " al leu an gewere darbet der volge „, ibid. art. 63. Si hæres be-  
neficialis, scilicet filius, sibi desit in die obitis, manus secunda non habebit  
beneficia, NISI IN BENEFICIIS PRÆDECESSOR EJUS IN DIE SUI OBITUS EA  
IN SUA HABUERIT WARANDIA. Vetus Author de Benefic. cap. I. §. 20.  
(ex edit. Senckenberg). Item: bona, quæ homo NON HABET IN POSSESSIO-  
NE SUA, & quæ non sunt sibi demonstrata, HÆC NON HEREDITAT IN FI-  
LIUM „, tamen hereditat in filium homo beneficia, quæ prosecutus est queri-  
monia iusta. ibid. §. 33.

### §. XXXIII.

*Quod delictum patris secundum jus germanicum filio non noceat,  
intuitu delictorum in specie feudalium verum non est.*

**I**n Quantum jus feudale alemannicum definiens, ne delictum patris filio noceat, à LUDEWIGIO objicitur a); hoc tanquam verum sine distinctione non amplius admittimus, siquidem jus feudale germanicum expresse faciat discrimen inter delicta feudalia in specie talia, scilicet ex obligatione feudali descendentia, & in specie non talia, hoc est ex non feudali, sed naturali aut civili obligatione orta. Sic jus feud. alem. b) statuens: filius factum patris prestare in delictis non tenetur, loquitur de delictis in specie non feudalibus, utope spolio, homicidio, incendio, atque perfidia c). Porro dum illud d) se ita exprimit: si vasallus filium babet, (dominus) eum:

a) Vid. sup. §. 33. lit. c.

b) Cap. 16. §. 6. ex edit. Senckenberg.

c) Ceu patet ex cit. cap. 16. §. 2. & 3. ubi: denegat porro etiam dominus investituram his, qui proscripti, vel excommunicati sunt. Itemque illi, qui ci-tatus est ad judicium super spolio, homicidio, incendio, aut perfidia, nec com-paruit, aut innocentiam probavit.

d) Cap. 61. §. 10.

eum de illo debet investire. LIBERI ENIM NON DEBENT GRAVARI CULPA PATRIS, de qua ipsi suo facto non participant, hoc enim contra Deum & jura foret, sermo quoque non est de delictis in specie feudalibus, sed de talibus, ob quæ quis quoque allodio, privatur e). Econtra quoties jus feudale sive alemannicum sive saxonicum de delictis in specie feudalibus mentionem facit, toties talia profert verba, ex quibus colligitur delictum patris filio quoque nocere. Sic in jure feudali saxonico f) non minus ac alemannico g) definitum est, quod *filius in causis feudalibus non teneatur respondere pro patre, nisi bona possideat, de quibus pater vivus conventus fuerat, aut si multa ex feudo solvenda fuerit defuncto jam in vita dictata*: Hæc autem mulcta sane alia de causa patre vivo dictari non potuit, nisi propter commissum aliquod delictum in specie feudale. Cum igitur filius hanc mulctam solvere debeat, in aprico est, delictum patris *feudale in specie tale* nocere filio. Ita quoque in utroque jure feudali saxonico h) & alemanno i) cautum est: si dominus (& resp. vasallus) clypeum suum humiliat vasallagio domino inferioris dignitatis praestito, eo ipso amicit omnium vasallorum suorum vasallagia, & bona, exceptis iis, quæ ex alodio suo contulit. Vasalli vero investituram feudorum suorum impetrant à domino feudi majore.. eodem jure gaudet quoque dominus adversus vasallum, qui feudum alii vasallo inferioris conditionis cedit; hoc enim feudum dominus conferre LIBERE potest, si velit, ergo non tenetur id præcise filio conferre. Consequenter delictum patris hoc in specie feudale in causa est, cur filius successionem in feudum prætendere nequeat. Ulterius in jure feudali saxonico germanico k) & latino l) refertur: si filium habens moriatur homo infra annos, quibus debuit investiri, per hoc feudum non elongatur à filio, licet pater hoc non recipit in feudo, QUONIAM SE IN TERMINO NON NEGLEXIT. Ergo à contrario inferri oportet, quod pater se in termino feudum recipiendi negligendo committat delictum feudale in specie tale, per quod feudum elongatur à filio, ideoque tale delictum patris feudale noceat filio.

e) Hoc apparet ex cit. cap. 61. §. 8. ubi: quod si vasallus tale crimen penetrat, ob quod bonis tam ALLODIALIBUS, quam FEUDALIBUS privatur &c.

f) Art. 47.

g) Cap. 55.

h) Art. 56.

i) Cap. 68.

k) Art. 19.

l) Cap. 12. §. 2.

## S. XXXIV.

*Secundum jus germanicum pater habet liberioreni super feudo quam  
super allodio in præjudicium filiorum disponendi facultatem.*

**A**d cæteras leges germanicas à LUDEWIGIO obmotas, & supra cit. §. XXX. lit. c. adductas non difficilior est responsio, scilicet quod illæ non loquantur de *feudis*, sed tantum de *allodiis*: ab his autem ad illa argumentari nequeat, eoquod pater *liberiorem habeat super feudo*, quam *super allodio in præjudicium filiorum disponendi facultatem*: etenim secundum jus germanicum *provinciale* pater non potest uni filiorum certum fundum dare, & jubere, ut is cum cæteris filiis & resp. fratribus in reliquo allodio æqualiter dividat: & tamen hoc potest secundum jus germanicum *feudale*, ceu *jus provinciale saxonum* a) testatur æque ac ejus glossa b). Sic pariter secundum *jus provinciale saxonum* c) dotalitium in *allodio uxori* constitui non potest sine hæredum consensu: & tamen in *feudo* potest hoc secundum *jus germanicum feudale* d) fieri.

- a) Lib. I. art. 14. ubi: "Also ist's auch nicht Landt Recht, ob der Vater einen Sou mit einem Lehen von ihm sonderte, und es ihm zu Handt auflest, daß er dasselbe vor den andern Brüdern zu voraus behalten möge nach seinem Thod, und über das an allen andern Lehen auch gleichen Theil nehme mit seinen Brüdern: dann wiewol ihms seine Brüder nicht können gewehren zu Lehn-Recht, doch so ist es nicht Landt-Recht, und derwegen klagen sie über ihn zu Landt-Recht, sie zwingen ihn wol mit Urteil und Recht zu gleicher Theilung .."
- b) Ad cit. art. ubi glossa hanc refert rationem: "dann dadurch, daß es ihm der Vater aufgelassen, und der Herr geliehen hat, ist's albereit sein worden, also daß er es nach des Vatens Thode mit den andern Brüdern nicht theilen darf. Jedoch mögen sie es ihm abgewinnen zu Landt-Recht, dieweil sie nach demselben gleich theilen sollen. Aber die Gewohnheit hat es nunmehr also eingeführt, daß der Bruder in solchem Fall das Lehn zuvor behalten mag, und darf es mit seinen Brüdern mit nichts theilen .."
- c) Cit. lib. I. art. 21. "Man mag Frauen wol eigen geben zu ihrem Leib NB. mit der Erben Laub .."
- d) Cfr. sup. §. 31. lit. a § b, cui addatur glossa ad *jus provinciale saxonum*. lib. 3. art. 75. notans: "Ein Mann mag seinem Weib ohn der Erben Urlaub sein eigen zu ihrem Leibe nicht vergeben, aber sein Lehen mag er ihr leihen lassen ohn der Erben Urlaub .."

## §. XXXV.

*Quod filius tempore alienationis neque natus neque conceptus jure revocandi non gaudeat, præter rationes modo expositas speciali adhuc probatur argumento.*

**F**ilius vasalli alienantis tempore alienationis *neque natus, neque conceptus* non tantum Rationibus modo expositis, sed speciali adhuc argumento à jure revocandi excluditur. *Enimvero quod revocare volens jus aliquod in rem revocandam habere debeat, res per se clara est.* Ergo & *nondum natus nec conceptus* non nisi per probationem talis juris fese ad revocationem qualificare potest. *Nondum natus nec conceptus* vero *jus* hoc in feudum revocandum prætensum vel tempore alienationis modo *babuisse* debet, vel *ex post acquisivisse*: ast neutrum de illo verificari potest. *Non primum*, quia supponitur illum tempore alienationis nondum fuisse in rerum natura, ideoque fuisse *non-ens*. Quam indubitatum igitur est hoc philosophorum, in jure a) etiam approbatum procardi-  
cum: *nullius entis nullæ sunt qualitates*, & quam certum est, *quod omne* *jus sit qualitas rei*, tam inevitabilis etiam debet esse sequela. *quod nondum natus neque conceptus* nullo prorsus, tempore alienationis, gavisus fuerit jure, feudum revocandum concernente. Néque etiam *ultimum*, hoc est: *nondum natus neque conceptus* tale *jus post tempus alienationis* non acquisivit: decantata enim est hæc juris feudalnis regula: *feudum neminem posse acquirere, nisi INVESTITURA, vel SUCCESSIONE* b). Dum autem quæritur, num *nondum natus nec conceptus* feudum revocare possit, semper præsupponitur, hunc de eo non esse investitum, quia alias *affirmativa* hujus quæstionis resolutio omni caret dubio. Tota itaque hujus quæstionis decisio dependet ab eo, num de illo verificari possit, *quod* *feudum, seu potius jus ad illud successione unquam acquisiverit?* ad quod fortiter respondemus *negative*. Eoquod filius sicuti *jus in feudum novum*

a) *ESSE ENIM DEBET, CUI DETUR: dein sic queri: an datum consistat: ut non ante juris ratio, quam persona quærenda sit. Et in proposito igitur, quod post obitum hæredis codicillis legatum vel ademptum est, nullius momenti est: quia hæres, ad quem sermonem conferat, IN REBUS HUMANIS NON EST I EAQUE ADEMPTIO ET DATIO NUNC VANA EFFICIETUR, l. I, pr. ff. de juri codicill.*

b) *II. f. I. §. I. in fin.*



*novum nonnisi per patrem primum acquirentem & hujus beneficio, ita & jus in feudum antiquum nonnisi per patrem investituram renovantem hujusque beneficio, & titulo quidem universali acquirere potest c): pater autem post factam feudi alienationem nil juris in eo habet d). Atque jus, quod quis non habet, ab hoc successione acquiri nequit, ergo & filius tempore alienationis neque natus neque conceptus nullum plane jus in feudum a patre alienatum successione acquirere potest. Necessaria igitur est conclusio, quod filius tempore alienationis neque natus neque conceptus nullo scilicet nec alienationis tempore habeat, neque ex post acquirat jus aliquod in feudum a patre alienatum, perconsequens ad feudi revocationem nullatenus sit qualificatus.*

c) *Cit. Dissert. nostr. praesert. §. 3. §. 4.*

d) *Inde patet quoque disparitatis ratio, cur agnatus tempore alienationis neque natus neque conceptus nihilominus jure revocandi gaudet, siquidem hujus pater in alienationem non consentiens jus suum in feudum retinet, ideoque & hoc in filium postea nasciturum transmittere potest.*

## XXXVI.

*Nec non per II. f. 39. § l. II. c. de fideicommiss.*

**N**oto notius praeterea est, quod feudi alienatio *cum domini consensu facta revocabiliter*, hoc est: usque dum successionis ordo ad agnatos pervenerit, valida sit a). Et nihilominus textus II. f. 39. diserte carat: *alienatio feudi paterni NON valet etiam domini voluntate, nisi agnatis consentientibus, ad quos beneficium quandoque est reversurum.* Hic igitur textus, praeter domini voluntatem, simul agnarorum consensum requiriens non de re-sed irrevocabili alienatione debet intelligi, ideoque nihil aliud vult dicere, quam quod *alienatio feudi paterni NON valeat IRREVOCABILITER etiam domini voluntate NISI agnatis consentientibus.* Textus hic duplum in se continet negationem scilicet: *non & nisi:* secundum notas grammaticales interpretandi regulas vero duplex negatio involvit unam affirmationem. Perconsequens sensus textus cit. alias esse non potest, nisi hic: *alienatio feudi paterni valet IRREVOCABILITER domini voluntate*

§

a) I. f. 13. ubi: *si vero CUM DOMINI VOLUNTATE totum vel medium alienaverit, stabilis permanet alienatio,*

Et agnatis cōsentientibus. Solus itaque domini & agnatorum cōsensus ad irrevocabilem feudi alienationem requiritur & sufficit: atqui tempore alienationis neque natus neque conceptus non est agnatus alienantis, neque sub agnatorum nomine venit, nam si postea conceptus est, M:rcellus scribit, neque ut SUUM, neque ut NEPOTEM, aut COGNATUM ad hæreditatem vel ad bonorum possessionem admitti b), quia NULLO JURE COGNATIONIS patrem sui patris attigit c). Ergo tempore alienationis neque natus neque conceptus actione revocatoria eo minus gaudere potest, quo evidentius alias falsum foret, quod feudum cum agnatorum cōsensum unquam posset irrevocabiliter alienari, siquidem per rerum naturam plane impossibile est, quod tempore alienationis neque natus neque conceptus consentire possit. Quod sane contra cit. textum 11. f. 39. tam clare loquentem manifesto impingeret. Adhæc cōsensus agnatorum tempore alienationis ideo requiritur, quia hi tunc modo jus quæsิตum in feudum habent, sed hoc nondum nato nec concepto deficit (§. præced.). Ergo & hujus cōsensus minime requiri potest, & alienatio cum cunctorum agnatorum existentium cōsensu facta eo magis irrevocabilis esse debet, quo clarius in l. 11. cod. de fideicommissi definitum est: quotiens ab omnibus, qui alienatione facta ad fideicommissi petitionem aspirare possunt, venditio celebratur, aut quibusdam vendentibus alii cōfenserint: CONTRACTUS AUTHORITAS CONVELLI NEQUAM POTEST. Quod autem haec legis decisio etiam de fideicommissis familiae intelligenda sit, & tempore alienationis neque natorum neque conceptorum cōsensum non requirat, verbis magis expressis adhuc declarat JUSTINIANUS d), dum controversiam revocationem perpetui familiae fideicommissi concernentem dijudicans hoc adjicit decidendi fundamentum: cum & alii HIERII (fideicommissum constituentis) gloriose memorie filii res suas alienaverint, & reliquorum quodammodo alienationibus cōfenserint, ac per has, nec non alias, quas prædiximus rationes, quæ ad hujusmodi dijivationem Et LEGISLATIONEM abunde nobis sufficiunt, sibi pariter & SUCCESSORIBUS suis actiones, quæ ipsis potuerint competere, substulerint.

b) L. 6. pr. in fin. ff de just. rupt. Et iurit. testam.

c) §. 8. inst. de hæred. quæ ab intest. cfr. l. 1. §. 6. Et 8. ff. unde cognat.

l. 1. §. 8. ff. de suis Et legit. hæred. l. 24. ff. de tutel. Et ration. reddend.

d) Nov. 159. cap. 3, cfr. sup. §. 23.



## §. XXXVII.

*Refutatur omne illud, per quod BOEHMERUS tempore alienationis neque natis nequè conceptis jus revocandi adstruere nititur.*

**E**x his §. XXXV. & §. XXXVI. deductis per se nunc sequitur, falsum omnino esse, quod (uti BOEHMERUS a) ascribit) “eo tempore, quo “in lucem eduntur illi, quorum parentes feudum vendiderunt, vel “in illud alienandum consenserunt, ipsum jus succedendi in feudum, “ex quo jus revocandi proficiscitur, duret, ac permaneat .. Cujus falsitatem magis adhuc detegimus refutando cuncta BOEHMERI argumenta, quibus id evincere conatur, in eo consistentia: “ita enim (inquit) “comparatum est jus succedendi in feudum ipsum, ut ad to-“tam primi acquirentis progeniem pertineat, quum ipsae investitura “non minus, quam lege feudali non natis modo, sed & omnibus, “qui quandoque ex iis nascituri sunt, feudum constituatur, ac serve-“tur .. Hoc ut prober, provocat ipse ad illos textus feudales, in quibus dicitur, quod feudum *in perpetuum & usque in infinitum* ad va-  
falli hæredes pertineat: Verum sit hoc, quod feudum hodie non si-  
cut olim b) pro lubitū domini, aut dein anno elapso, aut expost de-  
functo vasallo, aut denique deficientibus filiis finiatur, sed ejus suc-  
cessio ad omnes primi acquirentis descendentes *in perpetuum & usque in infinitum* extensa sit, exinde tamen nullo inferri potest jure, quod post feudi alienationem demum nati & concepti fruantur jure revo-  
candi: etenim jus ex quovis pacto quæsitum in materia etiam *allodiali* ad omnes hæredes *in infinitum* transit c), & tamen nemo hucusque somniavit exinde illationem, quod in casu, quo hæres intermedius jus ex tali pacto pro omnibus hæredibus *in infinitum* quæsitum aliena-  
vit, expost nasciruri hanc alienationem valeant impugnare. Ergo etiam ex solo illo successionis jure omnibus hæredibus feudalibus *in infinitum* com-  
petente jus revocandi in favorum tempore alienationis neque natorum ne-  
que conceptorum erui nequit, si non aliae rationes hocce jus successionis *in infinitum* contra feudi alienationem ruerint.

a) *Dissert. cit. cap. 3. sect. I. §. 12.*

b) I. f. I. §. I.

c) L. 13. c. de contrah. & committ. sigil. junct. l. 170, ff. de verb. signif.  
& l. 194, ff. de reg. jur.

## §. XXXVIII.

### Continuatio.

**P**ergit dein BOEHMERUS loc. cit: "arque hoc jus filiis ex lege & in vestitura acquisitum neque dominus, neque vasallus possessor mutare valent, sed illud perstat, ac tamdiu manet, quotusque superest so boles à primo acquirente oriunda feudorum capax". Quam verum est, quod solus dominus jus succedendi descendantibus primi acquirentis competens mutare nequeat, tam falsum quoque esse, quod nec vasallus id possit, ex solo matrimonio *ad morganaticam*, filios etiam à primo acquirente descendentes à successione feudali excludente d) evi dens est, quin opus sit provocare ad illas rationes, quibus hucusque modo probavimus, quod pater in præjudicium filiorum alienare possit feudum. Nec suffragatur BOEHMERO textus II. f. 52. §. 2. in fin. ab ipso e) adductus; hic enim non loquitur de *descendantibus*, sed tantum de *collateralibus agnatis*, quod scilicet vasallus in horum præjudicium nihil valeat immutare, prouti se manifestat es hisce ejus textūs verbis: *quod frater facit, nibil superstiti obesse, licet in secundam aut tertiam generationem, & usque in infinitum pervenit*. Frustra quoque adversarius noster BOEHMERUS loc. cit. obmoveret: "neque etiam filiorum jus ex jure patris, sed ex prima investitura & lege pendet": Siquidem contrarium ex professo deduximus in *dissert. nostr. cit. sistente filium beneficio patris &c.*, ad quam nos in præsens referimus. Instar porro BOEHMERUS: "Simili providentia etiam leges civiles causam posthumorum tueri, iisque servant succedendi jus, atque in eorum commodum omnem vim adimunt ordinationi à patre antea de bonis suis factæ". Ubi f) provocat ad l. 3. §. 2. ff. de *injust. rupt. & irrit. testam.* hæc habentem verba: *idem in postumo, quod in filio servandum, nec ratio diversitatis reddi potest*. Ast si BOEHMERUS leges supra §. XXXVI. lit. b. & c. allegatas inspexisset, certe illam legem heic non adduxisset, eo

G 2

quod

d) II. f. 29. ubi dicitur, quod si quis cum sponsa matrimonium ad morganaticam ineat, & hic filiis ex eā suscep̄tis deceperit, isti in proprietatem non succedunt alii extantibus, sed NEC IN FEUDO ALIIS NON EXISTENTIBUS: qui licet legitimi sint, TĀMEN IN BENEFICIO MINIME SUCCEDUNT.

e) Loc. cit. lit. r.

f) Loc. cit. lit. s.



quod ex legibus ibidem allegatis appareat, legem illam de posthumo vivente parente concepto loqui: cum econtra in præsens quæstio sit de posthumo tempore alienationis nondum concepto, de quo *Marcellus* scribit, NEQUE UT SUUM, NEQUE UT NEPOTEM, aut COGNATUM ad hæreditatem vel bonorum possessionem admitti, quia NULLO JURE COGNATIONIS patrem sui patris attigit g). Ex quo evidens est, in posthumo moriente parente nondum concepto idem, quod in filio servandum non esse; & inter utrumque maximam reddi posse rationem diversitatis. Denique addit *BOEHMERUS* loc. cit: " nec minus subveniunt (leges civiles) post immodicam donatio- " nem natis, atque provident, ut hi ex ea detraetum legitimum bo- " norum subsidium consequantur „, quo super ipse h) se refert ad l. 5. c. de inoffic. donat. & l. 8. c. de revocand. donat., quarum illa de filiis donationem inofficiosa - hæc vero de donatore donationem propter supervenientes liberos revocare valentibus agit. Verum neutra harum ambarum legum quidquam revelare potest, siquidem in casu tam illius, quam hujus legis iterum præsupponitur, liberos vivente donatore saltim fuisse conceptos, quia alias donatoris liberi esse nequerent. Postremo si vasallus nullam in præjudicium suorum descendantium nondum natorum neque conceptorum introducere posset cum agnatorum pro tempore existentium consensu mutationem, jus in feudum succedendi concernentem, sed hi eà non obstante jure revocandi gauderent, tristissimas inde se listere sequelas oporteret: tota enim posteritas alienationes & divisiones feudorum, nec non pæcta primogeniturae, *Majoratus*, & *Senioratus* ante secula cum omnium agnatorum consensu inita & jurato confirmata valerer impugnare, ex quo horribilis & pernicioſissima aprireſetur ſchena, qua non tantum judicia litibus ſcaterent, sed & inter potentiores ingentes metuendæ forent ſtrages.

g) Cfr. § 36. lit. b. & c.

b) Loc. cit. lit. t.

## §. XXXIX.

*Beneficium inventarii filio, qua hæredi patris, minime prodefit in feudi revocatione.*

Quod filius patri in feudo & allodio succedens mediante *inventarii beneficio bona sua propria retinere possit salva, quin ex his ultra vires hære-*

hæreditatis paternæ teneatur, dubium non habet. Num vero is quoque in vim hujus beneficij feudum separare valeat ab allodio, paucis jam discutimus. In saepe citata nostra dissertatione sistente filium beneficij patris &c. exposuimus filium beneficij patris & quidem titulo universali in feudo succedere, per consequens feudum intuitu filii haberri debet pro re in hæreditate defuncti patris comprehensa: notissimi juris autem est, quod *beneficium inventarii* se non extendat ad res in hæreditate contentas, ergo & filius hocce *beneficio* uti nequit ad feudum ab allodiali patris sui hæreditate separandum. Quid quod si etiam filius non patris *beneficio* & *titulo universalis*, sed ex solo pacto primi acquirentis, & *titulo mere singulari* ad feudi successionem veniret, firmiter nihilominus consistimus in eo, quod filius mediante *inventarii beneficio* feudum non possit separare ab allodio: Enimvero major hæredum securitas in causa fuit, cur *beneficium inventarii* introducendum fuerit in locum juris deliberandi a), ideoque nullus hæredum illo frui potest, nisi simul gaudeat jure deliberandi: num hæreditatem, intuitu cuius *inventarium* conficeret vult, adire, an repudiare malit b). Atqui filius, si succedat in feudo, deliberare nequit, num allodio patris simul se immiscere, an ab illo abstinere velit, sed in vim textus 11. f. 45. & 51. §. 4. est necessarius patris hæres in allodio. Ergo & ad hoc ab illo separandum, *beneficium inventarii* nequaquam poterit illi proficere. A nobis plane discrepare hic non videtur BOEHMERUS c) dum fatetur, quod "ea vis huic beneficio

a) L. f. C. de jure liber. §. 13. sancimus, qui *deliberationem* nullam petendam esse curaverint: quam putamus quidem penitus post hanc legem esse supervacaneam, & deberi ei derogari. Cum enim liceat eis & adire hæreditatem, & sine damno ab ea discedere ex praesentis legis authoritate: quis locus *deliberationis* relinquitur... §. 14.. electionem ei damus, vel nostram constitutionem eligere, & *beneficium ejus* sentire: vel si eam aspernandum existimaverit, & ad *deliberationis auxilium* convolaverit, ejus effectum habere.. & sibi imputet, qui pro NOVO *beneficio* vetus elegerit gravamen.

b) Cit. I. fin §. 2. Sin autem dubius est, utrumne ADMITTENDA SIT NEC NE defuncti hæreditas, non potet sibi necessariam *deliberationem*, sed adeat hæreditatem, vel se se immisceat, omni tamen modo *inventarium* ab ipso conscriatur... §. 14. Sin autem aliquis fecerit, & *inventarium* conscriperit, non liceat ei post tempus præstitutum, SI NON RECUSAVERIT HÆREDITATEM, SED ADIRE MALUERIT, nostræ legis uti *beneficio*.

c) *Dissert. cit. cap. I. §. 13.*



“ neficio tribui non possit, ut filium vasallum patris hæredem a solutione debitorum paternorum, quæ superant hæreditatem, liberet, ut  
“ que fructuum feudi nomine nihil de debito hæreditario solvere cogantur. Hac quidem ratione juris longobardici dispositio prorsus everteretur „.

### §. XL.

*Refutatur BOEHMERUS contrarium propugnans.*

Principiis hisce conformiter BOEHMERUS loc. cit. ita differit: “ is autem effectus eatenus recte in filium vasallum, hæreditatem patris cum beneficio inventarii adeuntem, transfertur, quoad convenient sensentiae juris longobardici, ex qua videlicet filius facta patris tam ex bonis, quæ ad hæreditatem pertinent, quam ex fructibus feudi præstare obligatur. Fructus feudi habitâ eorum ratione in computanda sorte estimationem feudi efficiunt, ac proinde menti juris longobardici consentaneum est, filium teneri ad debita paterna exsolvenda secundum vires hæreditatis & feudi quoad estimationem spectari„. Rationem vero, cur aditio hæreditatis in persona filii non impedit actionem feudi revocatoriam, BOEHMERUS a) subjicit hanc, quia “ feudum ad hæreditatem patris prorsus non pertinet, nec beneficio patris, sed tirulo singulari ex pacto & providentia majorum filio defertur, ideoque per se separatum ac disjunctum est ab hæreditate paternâ „. Verum ad falsificandam hanc BOEHMERI rationem sufficiat iterum ad nostram toties citatam provocasse dissertationem, in qua filius probarum extat, quod filius beneficio patris & quidem titulo universalis in feudo non aliter ac quoque in allodio succedat, ideoque illud intuitu filii pro separato ac disjuncto ab hoc haberi nequeat. Adhæc sicuti fructus feudi, ita quoque feudum ipsum, seu potius cuncta ejus utilitas ad res filio proprias referri necesse est, restante hoc ipsum BOEHMERO b) hisce se exprimente verbis: “ feudi quoque commodum, donec filio vita suppetit, in rebus ejus propriis numerare licet „. Si igitur filius beneficio inventarii non obstante facta defuncti patris ex feudi fructibus præstare & implere debeat, nulla appareret disparitatis ratio,

---

a) *Dissert. cit. cap. 3. sect. I. §. 7.*

b) *Loc. cit. §. 5.*

ratio, cur non idem de feudo ipso, seu hujus commodo dicendum sit. Præterea BOEHMERUS aperte sibi contradicit, dum filium ad præstandum factum defuncti patris quoad feudi aestimationem obligat, quoad feudum ipsum vero liberet: Nam feudum vel sit in *commercialio*, vel non: si hoc, *aestimatio ejus non debetur* c): sin illud, tunc quoque non sufficit *aestimationem præstasse*, sed *feudum ipsum præstari oportet*: etenim *aestimationem præstanto* tunc demum *satisfacit hæres*, si quid alicui fuerit *qualitate relictum*, quod ipse quidem propter corporis sui vitium, vel propter *qualitatem relieti*, vel aliam quamcunque probabilem causam habere non potuit d). Sed si *feudum cum domini consensu est alienatum*, neque *vitiū corporis*, nequē *qualitas relieti*, nec *alia quævis causa* obstatre potest alienatio, quominus ipse *feudum possidere* queat. Ergo *aestimationem feudi præstanto* se liberare nequit filius ab obligatione *feudum ipsum* in alienatarii manibus relinquendo. Præferrim cum adeo in casu, quo res aliena alicui *relicta* est, *hæres cogatur redimere eī præstare*, vel (tunc *demum*) *si eam non potest redimere, aestimationem ejus dare* a).

c) §. 4. *inst.* & l. 39. §. f. *de legat.* 1.

d) L. 114. §. 5. ff. *eod.*

e) §. 4. *inst.* *de legat.*

## §. XLI.

*Agnati hæreditatem defuncti vasalli, feudum alienantis, allodiale cum inventarii beneficio adeuentes jus revocandi non amittunt.*

Cæterum quoad agnatos hæreditatem defuncti vasalli, *feudum alienantis, allodiale cum inventarii beneficio* adeuentes res aliter se habet intuitu juris revocandi: hi enim, et si in feudo succedant, hæreditatem repudiare valent, ideoque non sicuti filii hæredes allodiales *necessarii*, sed tantum sunt *voluntarii*. Perconsequens sicuti jure *deliberandi*, ita & *beneficio inventarii* cum omni ejus fruuntur effectu, qui potissimum in eo consistit, quod hæreditatem SINE PERICULO habeant, & in tantum hæreditariis creditoribus teneantur, in quantum res substantiae AD EOS DEVOLUTÆ valeant, & nihil EX SUA SUBSTANTIA penitus hæredes AMITTANT: NE DUM LUCRUM FACERE SPERANT, IN DAMNUM INCIDENT a). Sed si agnati hæreditatem

a) L. fin. §. 4. c. *de jur. deliber.*



tatem defuncti vasalli, allodialem *cum inventarii beneficio* adeuentes, jus feudum sine illorum consensu alienatum revocandi, mox à casu delatae successionis, adeoque ante aditionem hæreditatis allodialis modo natum, & horum bonis efficaciter quæsitum non retinerent, tunc utique non verificaretur, quod hæreditatem *sine periculo* haberent, & in tantum solummodo hæreditariis creditoribus tenerentur, *in quantum res substantiae ad eos devolutæ valeant*, ac denique, quod *nihil ex sua substantia penitus hæredes amitterent*. Præterea ratio *ultimata*, cur hæres factum defuncti praestare, ideoque rem propriam ab hoc alienatam revocare nequeat, posita est in eo, quod hæres & defunctus repræsentent *unam eandemque personam* b): Usus *beneficii inventarii* autem impedit, quomodo hæres personam defuncti induit, ceu evidens est ex eo, quod *si ipse* (hæres hæreditatem *cum beneficio inventarii* adiens) *aliquas contra defunctum habet actiones, non bæ confundantur* c), quæ tamen necessario confundi deberent, si talis hæres cum defuncto *unam eandemque habet personam*, siquidem implicat, quod *una eandemque persona* simul sit sibi met ipsi & creditor & debitor. Hisce conformiter itaque concludimus, quod agnati hæreditatem defuncti vasalli allodialem *cum inventarii beneficio* adeuentes jus feudum sine illorum consensu alienatum revocandi servent sibi salvum.

b) *Nov. 48. in præfat. ubi: cum utique nostris videntur legibus UNAM quodammodo esse PERSONAM hæredis & ejus, qui in eum transmittit hæreditatem: ideoque nullus EIDEM SIBIMET edicit reluctari, & quod dixit, atque juravit ratum esse, hoc nolle valere, sed contra proprios reluctari sermones.*

c) *Cit l, fin, §. 9. c, de jur, deliber.*

**POSI-**

# POSITIONES EX JURE FEUDALI.

- 1.) Dominus eti vasallo rem in feudum *gratis* concedat, nihilominus huic evictionem præstat debet.
- 2.) Vasallus si consentiente domino feudum in extraneum *gratis* transferat, huic ad evictionem non tenetur.
- 3.) Vasallus feudum alienans, si alienatario evictionem præstat, huic obligatur ad interesse, quod tamen fecus est, si dominus vasallo evictionem præstat.
- 4.) Secundum jus commune nequit pater feudum suum filiae, bene tamen hæc potest feudum suum marito in dotem inferre.
- 5.) Feuda nostra provincialia filiae in dotem conferri possunt à patre.
- 6.) Traditio feudi in pignus sine domini consensu illicita est.
- 7.) Constitutio hypothecæ in feudo sine domini consensu facta poenam privationis post se non trahit.
- 8.) Secundum jus commune vasallus non tantum partem, sed & totum feudum irrequisitio etiam domini consensu in emphyteusin licite dat.
- 9.) Nostra feuda provincialia sine consensu Serenissimi nostri tanquam domini directi in emphyteusin dari nequeunt.
- 10.) Successionem feudalem juris communis esse *linealem*, ideoque linea proximiorum, eti gradu remotiorem, excludere gradu proximiorem, sed linea remotiorem, textus II. f. 50. extra dubium ponit.
- II.) Ast num successio hæc linealis etiam in feudis nostris provincialibus locum habeat, est quæstio altioris indaginis, siquidem VOETS in *observat. feud. 16.* eam tueatur, econtra SANDE in *commentar. in gelr. consuetud. feud. tit. 3.* Cap. 2. §. 7. n. 3. æque ac CHRISTINÆUS in *decis. belg. vol. 6. dec. 46. n. 11.* testentur eam in feudis juliacensibus non observari.



ausserordentliche  
Burg- und Schlossbaukunst des 16. Jahrhunderts  
Von Carl von Watzdorf

POSITIONE  
EX  
JURIS LITERATURO

Die Positione ist ein Abschnitt eines Artikels im ersten Band des Sammelbandes der Schriften des Historischen Vereins für die Provinz Westfalen, Band I, 1851, S. 16-20. Sie behandelt die Burg- und Schlossbaukunst des 16. Jahrhunderts. Die Positione ist eine Kritik des Artikels "Die Burg- und Schlossbaukunst des 16. Jahrhunderts" von Carl von Watzdorf, der in demselben Band erschien. In der Positione wird die Meinung von Watzdorf kritisiert, dass die Burg- und Schlossbaukunst des 16. Jahrhunderts nicht als eigenständige Kunstrichtung gesehen werden kann, sondern als Teil einer allgemeinen Baustilistik, die sich auf die Architektur des 15. Jahrhunderts zurückstellt. Die Positione betont die Einzigartigkeit und Originalität der Bauwerke des 16. Jahrhunderts und weist auf die Unterschiede zu den Bauwerken des 15. Jahrhunderts hin. Es wird auch die Bedeutung der Burg- und Schlossbaukunst für die Entwicklung der Architektur des 16. Jahrhunderts hervorgehoben.





820 TO  
12 days  
about a week 20

1.20



820 TO  
12 days  
about price 20

1.20

